




*Pauser VII. 412, 32.*

 **VLRICHI**  
HVTTENI AD PRINCE  
PES GERMANOS VT  
BELLVM TVRCIS  
INFERANT  
EXHORTATORIA.



INSUNT quæ priori editione ex  
empta erant, uide & adficietis.

APVD AVREAM MO  
GVNTIAM.



*(1519)*

Balc  
3477 5

VLRICHVS  
DE HVTTEN EQVES GER  
MANVS CHVNRAO  
PEVTINGERO PA  
TRITIO AVGVSTANO S.



LIBRARY

LIBRARY

M. K. MUZEJNA KÖNYVTÁRA  
H. Gyomai Művelődésközpont  
1924. 325.

# VLRICHVS

DE HVTTEN EQVES GER  
MANVS CHVNRAO  
PEVTINGERO PA  
TRITIO AVGVSTANO S.

**D**ECLAMAVI HIS DIE  
bus Peutingere, & causam si dijs  
placet ardua declamaui. Conatus  
sum tamen, cum quia argumentū  
delectabat, tum uero, quia otium suppetebat.  
Id quaecumq; est, ad te mittendum putaui  
primum, ut te aliqua nouitate utcunq;  
adficerē, deinde ut animo tuo suspicionē,  
si quam ex illo diuturno meo silentio concepisses,  
eximerem. Videri enim poteram, oblitus tuæ  
in me beneuolentiæ, segnius quam pro dignitate  
amicitiæ nostram colere. Sed distinuit me quidam,  
nuntiās epistolam ad me tuā, una cum nescio quo  
Cæsaris munere, diuagari, & ad me propediē  
peruenturā. Quam dum expecto, ut uideā  
quò me euehas (scio em̄ aliquid machinari  
te) simul sperās fore, ut in illo principū  
Augustæ (qui nimis iā differt) cōuentu ipse  
coram de multis colloquar, nihil properandū  
A ij ad

## EPISTO. HVTTENICA.

ad te putauī. Tu uero desine aliquid ingratitudinis suspicari. Non sic memoria excidit, quanta tu nuper diligentia, quantoque studio, redeuntē ex Italia me cōmēdaueris MAXIMILIANO Cæsari. Qui cū tua graui oratione in confessu amplissimorum uirorū, de meis studijs, deq; illa erumnosa per Europam peregrinatiōe, simul de quadam mea feliciter illi pugnata pugna, persuasus esset, ut me honoraret, quos tu non magnificos titulos, quæ non celebra nomina, quas immunitates, quæ priuilegia protulisti: ut ingratiſſimus sim omniū, qui usquam uiuūt mortaliū, nisi te ualde amē, ac reuerenter colam. Proinde continuo oculis meis obuerſatur, qua me primum hospitalitate in tuā domū accepisti, deinde qua p̄dicatione, quibus amicis cōmendasti. Postremo qua pompa ad Cæsarē adduxisti, ut ille tuo instinctu ad se admisit, ut coronam poetiā imposuit, illam aīo coronam, illam lauream, quam tu ante domū tuā, accurate cōtexente & adornāte filia tua Constantia, omnium quæ istic sunt puellarū, & forma & moribus præstantissima, apparaueras. Hærēt ista mihi animo, ac diutissime hærēbūt,  
tam

## AD CHVN. PEVTIN.

tam quia per se magna fatis sunt, quā quia auget ea, qd tibi ciuitate pariter ac ordie diuerso accepta refero. Quod ubi cogito, & quia ab ineunte ætate sic uitam institui, ut quam gratissimus esse studeā, erga eos præsertim, quorū aliqua in me benignitas, nedum benemeritū, perspecta sit, nunquā desino magnifice tuam in me beneuolētiam, tuaq; ista merita cōmemorare. Quod si molesta fuit hæc tibi taciturnitas mea, da ueniam, iugi posthac literarum missione resarcire paranti. Etiam quæris forte, quē admodum me tractet aulica uita. Nondum optime. Quanquā quid non ferēdum est, apud uere principē ALBERTVM Archiepiscopum: sic humanū: sic beneficū: ac liberalem: deinde sic erga literas ac literatos omnes affectū: Alioqui ualde ista nauseo, fastum aulicorum, magnifica promissa, se squipedales salutationes, insidiosa colloquia & inanes fumos. Præcipua tamen mihi cōsuetudo est, cum Stromero physico, quod se mira quædam dedit (ut mihi uidetur) inter utriusq; mores similitudo. Simplex est, dexter, & apertus. Odit fucum, detestatur pompam, ac subinde mihi crebro inculcat  
A iij quadā

## EPIS TOLA HVT.

quædam adagia, ipse uicissim meos (quandocumque agnouit talem) iocos communico. Nam statim ab initio ut in aula receptus sum, perspecta hominis probitate, complecti cepi, ac me ille mutuo. Verum tu quid agis istic? aut quando illud nobis, quod diu iam paraturis, tandem paris? si intelligis dilatatum iri conuentum, copiose scribe de multis rebus, præsertim ea, quæ in erratica illa epistola in erant retexere. Si ignoras enim nondum accepi. Salutabis ex me Iacobum Spiegel secretarium mire de nobis meritum, una cum Stabio Mathematico, ac illi me commendabis, omnium qui usquam sunt Episcoporum doctiss. Petro Bonomo Tergestino,

cuius mihi amicitiam promissisti. Gestio uos uide

re. Interim tu quoque recte uale.

Moguntia VIII.

Calen. Iunij. Anno post. M. D. XVIII.




# VLRICHI

DE HVTTEN EQVITIS  
ad principes Germanos, ut bellum  
in Turcas concorditer suscipiant, exhortatoria.

**Q**UIS HOC SPERARE ausus erat principes Germani, ut simul ista caderent, summa necessitas, & optima occasio gerendi aduersum Turcas belli? fortunam appellare licet, an nefas est, in subitotos casus dei benignitatem reijcere? certe enim respexit nos deus. Nam quid aliud dicam? uno eodemque tempore contigit, ut & bello opus esset Germanis, & bellum in ferre Turcis necesse esset. Gratulor felicitati nostræ, nisi quis parum felices putat, quibus non tantum facile est, rem gerere longe pulcherrimam, sed & necessariū est. Adeo ad ingentem urgemur gloriam. Adeo omnia quæ nos circumstant, ad egregiam laudem cogunt. Pax nobis cum omnibus extra finitimis, ac illis secum, intus summa annonæ difficultas, quod anno superiori male pro uenerunt fruges, male uina. Igitur cum maxima sit comeatus inopia, & populosissima

A iij sit

## EXHORTATIO HVTV

fit hoc tēpore Germania, quod uotis omnibus optandum erat, ut esset foris bellum, quo istam exponeremus multitudinem, diuinitus accidit, diuinitus inquam, ut bellandi contra Turcas, & caussa esset, & necessitas esset. Iterū igitur dico, quis sperare hoc ausus erat? Sed ista quo optatius nobis eueniunt, eo obstinatius conandū, ne & nostrae defuisse necessitati, & occasionē neglexisse pulcherrimā uideamur. Multi egent, multi esuriunt, in omnibus passim urbibus, oppidis, ac uicis otiosi uagantur milites. Quæ res quo uergat, ignorare non potestis, cum uix dum exacto mēse uideritis quid illa in agro Iuliacensi sic coniuncta octo milia sibi proposuerint. Nempe ut collecta ad se reliqua egentium turba (quam iam undiq; aduocabant) in locupletum domus impetum facerent, omnia rapinis, omnia cædibus miscerent. Quod quia nō cessit, & quia deus opt. max. prospexit, ne (si per uos licet) cuiquā huiuscemodī posthac cōsilio opus sit, agite tandem fortissimi Principes, dei utamur beneficio, In uobis situm est, Vos monendi, Vos excitandi. Paratos habetis milites etiā si creditis plures quā opus est. Paratū habetis

## AD PRINCI. GERMA.

betis ducē hunc MAXIMILIANVM Cæsarem, qui annos iam plures, unum hoc meditatatur, unum hoc molitur atque agit, ut furentes Turcarum impetus sistat, ut nouo ac ingenti facinore Germanicū nomen honestet. Agite audete, semper optima quæq; in fuga est occasio. Quæ quia nūc proxime uobis adest & quia nisi iam iam utamini, frustra posthac requiretis, quæso inuadite, occupate, arripite, tenete. Male differit, quod ab occasione differtur. Minus periculo sa omnis celeritas est, cōtra nunquā non in mora periculum. Proinde si unquā prius, nūc maxime properādum uobis. Inconsultum est, perniciosum est, in tali tantaq; opportunitate cūctari. Ab unis uobis uniuersa Christianorum salus dependet. Vos omnes intuentur, Vestrum omnes auxiliū orant, In uobis spem locant. A quibus destituti si fuerint, tum de se actū putant. Demū, in uestris situm est animis, cedāt Turcæ, an reliquæ Christiani nominis pereant. Videtis quāta cum gloria, quanta uobis utilitas coniūcta sit. Dum uestra defenditis, aliena seruat. Dum propriam causam agitis, interim de alijs bene meremini. Certe enim suā uobis

A v salu-

## EXHORTATIO HVT.

salutem cōmuniter acceptā omēs referent. Vos strenuos, uos fortes, uos pios, uos orbis Christiani liberatores p̄dicabunt. Quae gloria quid potest esse magnificētius? quid splendidius? atq; adeo quae honestior laus? quae nobilior fama? quod decus solidius? Ad quae bona capeſſenda, cū adhortari uos instituerim, & huiusmodi futura necessario sit haec adhortatio, ut nō nihil in se amaritudinis contineat, quaeſo ne mihi succente principes. Tum si nullam meam priuatam causam ago, nullius hominis fauorem capto, si omnia in hac oratione erunt necessaria, nihil otiosum aut petulans, deniq; si ipsi agnoscentis inibi meum erga hanc patriam studium, meā propensam in remp. Germanam uolūtātē, fas mihi sit in maximo quod nos circumſtat periculo, in summo orbis Christiani discrimine, aliqd libere apud uos loqui, aliqd pro re ac causa dicere. Nam si tale quippiam eſſet hoc quod ago, ut unius mihi animus cōmouendus dictione, unius excitanda deſidia proponeretur, nihil magnopere ſollīcitus eſſe uellem, quādoquidē intra certos limites uerſarer, nec uerendum uideretur, ne infinitum eſſet periculū. Tūc  
quip-

## AD PRINCI. GERMA.

quippe unus aliquis, sic ubi offenderā, mihi irasceretur, & quanquā forte summus, homo tamē irasceretur. Nunc multorum illa est indignatio. Quorsum haec? Quia desperavi ita posse à me dici, ut non aliquod uobis ulcus tangam. Ex quorum interim magnitudine erit, qualecūq; hoc euenerit, boni consulere. Et quae uestra est prudētia, cōmuni hoc potius dolori condonare, quam meae adscribere temeritati. Qua concepta spe, confidētius iam ago. Sed quid hoc bello queri possit, quanquā eſſet id magnū incitamentum, ut ad spem lucri uocarem, nolim tamē huc potissimū respicere uos. Triacerte quae tuenda omnino sunt nisi & geritis bellū, & mox geritis, amittentur. De fortunis uobis uestris, de dignitate, de ipsa denique salute, certandum est. Quorū primū illud si negligetis, calamitatem, Secundum, turpitudinē, Tertium, exitium adferet. Ergo erit hoc bellū utile, quia sic rebus uestris consulētis. Idem erit honestum, quia pro dignitate tuēda uitam exponētis. Eritque necessarium, quod nisi geratis, uos esse nō poteritis. Sed quia haec omnia in unū hoc tendunt, ut necesse sit hoc tempore arma cōtra  
Turcas

## EXHORTATIO HV T.

Turcas sumere, sic ferè orationem instruo, ut primo ostendam, quàm necessarium sit hoc bellū. Deinde, quo consilio id facile geri existimē. Et ut de periculi magnitudine, quod in illā uos necessitatē adigit, prius dicam, Potest ullū esse maius periculū, quàm cum is, qui tria maxima, tribus orbis partibus, imperia possidet, quod nobis terra marique inferat, bellum molitur? Vera est enim principes fama, quæ de Turcarum apparatu nuntiatur. Vera inquam, nec huiusmodi ut cum inanibus ante summorū Pontificū fabulis, cōferri debeat. Nam illi, quoties in mentem uenisset, pecuniā à Germanis exgere, hoc capiebant consiliū, ut aliquem mitterent, qui magno terrore clamaret, aduentare Turcas, ac propè in ipso iam Urbis prospectu hostē esse. Id quod non semel utiliter illis cessit, uestra culpa. Quid enim passus estis Germaniā compilari? Aut si etiā uerus fuisset Italīs aliunde metus, ob id in nobis exactiones fieri oportuit? Quos, si re ipsa, ut inani nomine Imperiū Romanū teneremus, ab Italīs ista accipere cōueniebat, non Romam ingentem pecuniarum uim, quotannis mittere, atque illis mittere, qui iam

## AD PRINCI GERMA.

iam ipsi nimis multa possident. Miserūt nuper, quam uidistis omnes, consultationē de ineundo hoc bello, Simul exhortationē ad te MAXIMILIANE Cæsar. Qua de re quod sentiam, fortasse, quanquā sciā, non ausim dicere. Laudo Pontificē suæ in rep. Christianam diligentia, ac istos ualde probo Reuerendissimos, quod mecum nolint diutius grassari Turcas, quod uelint subuentū imperio, succursum religioni, quod nobis dissidentibus, quandoquidē euerisionē molitur hostis, ipsi prospicient. Nam quid ad me attinet quærere, an illorū hoc officium fuerit? Ac utrum magis eos decuerit orare, psallere, supplicare, quo propitiū nobis deū qui omne à suis malū auertere potis est, redderent, quàm de bello inferendo uel cogitare, nedum publice consultare, ac nobis artē militarē non imperite callentibus, bellandi formas præscribere? Ac illud ad me quid attinet dicere, quibus moribus, qui homines Romæ uiuant? Cum me facile contineā ibi, ac patienter feram, quæ huius Maximiliani Principis cura esse debet, ad summi pontificis nutum Cæsares legi, horūque capitibus illorum à pedibus thiam Imperialem apponi

## EXHORTATIO HVT.

poni. Et magnopere sollicitus nō sim, quid oporteat hoc modo dyadema sumpturum Imperatorem Pōtifici largiri. In quæ uerba iurare. Quas leges præscribente illo accipere. In quam seruitutem sese addicere. Nam de Constantini donatione, nō audemus, ne mutire quidem. Quanquam animo sim impatientissimo, iniuria fortasse, sed tamen patriæ studio, ubi uideo mille excogitatis modis Germaniã expilari. Pallia maioris quã faserat uenire. Ecclesiarū nostrarum uectigalia, id est sudorem, atque adeo sanguinē parentum nostrorū, ad urbem Romā pensionis nomine redire. Atque hæc omnia sub pietatis prætextu fieri. Verūtamen friuole circa res maximas angor, cum ista mutare nec possim, nec debeam. Ut qui anno superior Bononiæ, quod Franciscum Mariam ex consuetudine, non nouādarū rerum studio, Urbini ducē (ac antequam deijceretur fuit) dixissem, quoniã hoc uetuerat sanctiss. Leo, inter excōmunicatos sim habitus. Visum mihi tamen olim est, ad Apostolicum pertinere officiū, seminare dei uerbum, nō hominū patrimonia metere. Pascere oues Christi, nō ad famem & penuriã adigere  
populum

## AD PRINCI GERMA.

populum. Pacem orare, eamq̃ colere, non ad bellum hortari, & militiæ operam dare. Euangelium prædicare, non classicū occinere, caelos suspicere, non terrena amplecti imperia. Sed aliud postea edoctus sum. Nimirum haud ab unis Petri clauibus rē ecclesiæ pēdere, sed & Pauli opus esse gladio, probante Iulio secundo, qui paucos ante annos, orbem Christianum intestinis connexuit bellis, ac illum, quem nemo ausus est ambitiosum appellare, triumphis suis titulum prætulit, Iulio secundo expulso Tyrānorum, Atque hac in opinione aliquandiu mansi, donec Leo X. rerum potitus, mire placentē erexit inscriptionē, nempe, Leonis X. restauratoris pacis. Tūc etenim intelligere cœpi, ad pristinum suum statum rediisse Pontificiam dignitatem. Nam *urbium se negotiū*, *urbim* non bellum, sed quandam quasi lupi à caulis deiectionem uocare iubemur. Quomagus admiror, illo ipso restauratore pacis præsidete, Reuerēdiss. nō fatis putare si de cernāt exhortationem ad nos, ut bellum suscipiamus mittere, nisi & quomodo suscipiendum ac gerendum, nimirum bello adfuerit homines, edoceant. Atqui ut nihil opus  
erat

## EXHORTATIO HV T.

erat istis, ita ualde conueniebat, pecuniam nobis suppeditare, rebus alijs huic operi ne cessarijs abunde instructis. Nam & milites sunt, & arma, & equi. Præterea duces, quantum in nulla alia natione. Atque utinã aliquando rem intueri uelint, ac non suis quidem se fraudare uoluptatibus (nefas est enim quenquam Reuerendissimorum uel tantillũ egere) uerum eorum aliquid ad hoc bellũ conferre, quæ in tot istos erogatur Referendarios, Promotores, Aduocatos, Camerarios, scriptores apostolicos, Auditores, & auditores rotæ, Correctores, Abbreuiatores de parca maiori & minori, Cubicularios, Excubitores, Lecticarios, Scribas, Notarios, Protonotarios, Secretarios, Copistas, Procuratores, Pedellos, Cursos, Scobatores, Cocos, Piscatores ac Venatores, Muliones ac Equifones, & illos ad unum usque deglubentes apostolicum gregẽ Officiales. Ne eos interim addam, quorum ubiq; præterquam in illa sancta Curia, turpis mentio est. Eorum inquam aliquid huc remittant, quandoquidem annos iam nimis multos pecunias à Germanis, quas in bellum Asiaticum instituant, abstulerunt, quo facilius  
tot

## AD PRINCI. GERMA.

tot modis attenuati, sumptus belli huius feramus. Aut saltem nobis uel ad tempus remittant, quæ pro pallijs episcopalibus, indies augentes e pretio, intantũ, ut iam emere aliquos pigeat, soluim⁹, aut quæ in lites istic, plus hydræ capitibus, excrescetes, impenduntur. Aut uero, quibus condonationes, dispensationes, gratias, ac id genus bullas, emimus. Quæ cum nõ inutiliter ut credo moneam, & illis factu facillima sint, huiusmodi tamen est hoc consiliũ, ut de patrimonio diui Petri, ne stipem quidem detrahere iubeam. Quamquam ubi rectius illud attererent patrimonium? Sed tamen ut intacta maneat rhete, hamus, scapha, remus, nassa, ac contus, ex his quæ nostra cũ sint, nescio quo iure illis redeunt, si nos hoc tempore iuuerint, ulterius non quærent, Turcis Italiam petentibus, qui se opponant. Et quanto magis conueniebat hæc in consultationem illis uenire, quàm ea quæ, ceu quædam planè miracula in uulgus edenda putauerunt, Vtrũ suscipiendũ sit hoc bellũ? Cum id nemo ignoret. Vtrum offensiuè an defensiue? Cũ id nihil referat. Quæ sint quæ hoc bellum impediãt? Cum hoc ipsi illi diu  
B iam

## EXHORTATIO HVTV

iam fuerint. Per quos gerendum? Cum imperatorē habeat Germania, & milites. Quo modo gerendū? Cum non adhuc ita dediderimus artē militarem, ut à Cardinalibus Romanis eam perdiscere oporteat, aut si quis in Germania nesciat, unus hic Maximilianus Caesar, tot gestis bellis, in quibus conuenit summus Imperator, tā uaria agitata fortuna, tot casus expertus, oblitus esse nō possit. Vt ne istum illis ostēdam Casimirū qui iam summa omnium de se expectatione, & optima spe in illa floret gloria. Ac alios necōmemorem fortissimos per Germaniam principes, quos illi, ut bello inutilis, contēnere non potuerūt, quod tam manifeste illudi sibi patiantur, potuerunt. Sed ad extremum prosequi hāc Tragœdiā, non est præsentis instituti. Ad hoc redeo, unde ad illos consultores auocatus sum. Vera est fama de Turcis. Ipsæ res, ut allatum ad nos, ita gestæ. Tum de bello quod cōtra nos instruitur, nihil e mentitum, nihil fictum. Illa efferata barbaries, illa, principes, dijs hominibusq; inimica gens, Selino Othomanno (quē nos quiescere putabamus) imperatore, quod multis retro annis summa ope, maximo

## AD PRINCI. GERMA.

ximo conatu adnixa est, nec posse credebatur, profudit se in Africā, subegit Aegyptū, deuicit Syriam ac Iudæam, uniuersum Sulthani regnum imperio suo adiecit. Ipsum cum acie primū uicisset, deinde etiam in potestatem accepisset, supplicio affecit. Res magna, res horrenda, res publica consternatione audienda, & quodam adeo luctu deplorāda. Non quod hostis noster tot populos, & ipsos Christiano nomini inuenos subiugauit, aut quod immanis Selinus imperij sui terminos in Africam usque protulit, uel quod ille sic erga nos affectus, opulentissimarum nationum dominio potitus est, & balsama metit, sed qd (ō lachrymæ, ò planctus) sepulchrum gens impia possidet eius, qui nos cælos possidere facit. Quæ uictoria tumens ac elatus hostis, simul præda quæ omnium fidem excedit locupletatus, posteaquam impositis præsidijs terga communiuit, magna spe, magno animo, in gentibus actis delectibus, numerosissimis conscriptis copijs, bellum in nos quale nunquam prius, parat. Et ubi parat? non in Asia iam, aut in sua illic barbaria, nam quod factū ibi opus erat, multo ante, quā ad nos

B ij fama

## EXHORTATIO HVT.

fama perueniret, curauit. Sed cum uniuersa nobilitate ac imperij proceribus, Cōstantinopolim ad nos trāsmisit, ubi arma, equi, uiri, currus, ac machinæ instruuntur. Atq; hæc ad bellum terra gerendum. Nam ualidissima, ac supra quam necesse est, munita classis, quæ paulo post Italiam inuadat, Ionium mare perambulat, ac ad ipsam usq; Siciliam & Appuliam audet expatiari. Altera apud Thraces conficitur, quæ Græciæ littora tueatur, & his quæ mari possidet hostis, præsidio maneat. Hominum in armis esse feruntur ad ducenta millia, non cōtemnendi per Christum milites, non penitus derelicti a uirtute uiri. Quos si nulla sua natura, nulla inter bellicosos homines assuetudo, ad fortiter aliquid agendum instigaret, uel illa tam speciosa, illa tam omnium seculorū memoria digna uictoria excitaret. Illa in bello Sulthanico parta gloria, ad aliquid ulterius egregie conādum inflammaret. Et iam incursiones fiunt in Illyricum, Hostis in prospectum usq; Hungarorū accessit. Ita iam non parat bellum, sed manifeste gerit. Tātum abest ut Turcas, quos paulo ante ignorabamus ubi nam essent, ac to-

tam

## A D PRINCI GERMA.

tam belli molem in Germaniā accipiamus. Creditis enim in hac fortuna quieturum, in hoc felicitatis suæ cursu cessaturū, qui nullis unquam tranquillis rebus quiescere didicit: intra nullam unquam fortunā se continuit: Cui omnis odiosa remissio est: Cuius ea est natura, ut in omnes occasiones intentus, tumultū quieti præferat, pace bellum potius ducat: Et ne penitus ignoretis Turcas, ab antiquo genti consuetudo est, latrocinijs ac rapina uitam tolerare. Quorum occasio si deesset, in feras grassabatur, uenationi operam dans. Nam potioresemper hominum capturam duxit. Domi in omnem libidinum ac turpitudinū fœditatem profusa, ad extremum ferox, efferata, crudelis, libidinosa, infida, ac truculenta. Neq; fidem seruans, neq; fœdera sancta habens, suæ superstitiōis ad extremū usq; spiritum tenax, ueræ alioqui religioni hostis, sacra & prophana, fas & nephas perinde ducens. Atq; hos mores quātum nulla alia gens suos, & diu & immutatos retinuit. Septingentesimus ac septuagesimus à Christo nato annus agebatur, cum primum e Scythia pertransitis Caspijs portis, frustra obnixis Auaribus,

B iij in

## EXHORTATIO HVT.

in Asia minori malum hoc confedit. Vbi parum profectum putantes, si melioris cæli regionem nacti, regnū sibi communirēt, finitima primum latrocinijs infestarūt. Deinde ut se occasio dedit, aut libido suasit, bellum gesserunt. Quibus artibus, non ita multos intra annos, opulentissima Asiæ regna suæ ditionis fecerūt. Quippe Pontum, Capadociā, Galatiā, Bithyniam, Pamphylia, Pysidam, utraq; Phrygiā, Ciliciā, Cares, Lydiā, & quæ circa sunt, ad oras usq; Ionij maris, subegerūt. Interim cum Saracenis cōflictati, eorū etiam religionē imbiberunt. Ac nobilis illius Christianorū in Saracenos expeditionis procella icti, aliquādiu Hierosolymitanorū regū metu, intra sua secōtinuerūt, donec Othomāno principe, quasi quam tot annos dissimulassent, solito maior erupit ferocia. Nihil non strēnue in hūc usq; diē, ex ea familia principibus, Turcarū arma exercētibus, actū. Victū tūc Thraces, om̄ibus in seruitutē ciuitatibus, præter Constantinopolim & Perā, deiectis. Inde Macedoniā cum uniuersam subiugassēt, Græciæ inuadēdæ cōsiliū cœperūt. Cuius, nō magno admodū negotio, subactis Theffalia, Phocide, Bœotia

## A D PRINCI GERMA.

tia, ac ut plurimū Attica, Mysiam inferiorē uastarūt, Illyricū ac Tribalos incurssiōibus uexarunt, ingens Rhodijs periculū intendant. Quibus successibus elati, magna Orientalis imperij potiūdi spe Constantinopolim obsederūt, atq; inde rursus Scytharum Tamerlane principe, armis pulsi, capto ac postquā multo ludibrio diuexatus esset, etiā am occiso eorū imperatore Paizete, iterum sub Mahumete tributa Mysijs imperaūt. In inde Amuratis ductu Theffalonicā debellarunt ac diripuerūt, Epirū atq; Aetoliā superarūt, Illyricū affligerūt. Et cum Pannonias quoq; tentassent, pugna profligati, decēnales cum maioribus nostris inducias admiserunt. Quas cū scelerato Eugenij pontificis hortatu nostri uiolassēt, ingēs sibi malū, reor Christo perfidiā suorū puniēte, conciliarūt, luctuoso apud Varnā prælio, cæsis (ut ferūt) Christiani sanguinis centū millibus, interq; eos Vladislao Polonorū rege. Atque hæc obiter, pauca ē multis, quæ Turcæ gesserūt, ad tēpora usq; Mahumetis, ei quā magnitudie rerū à se gestarū, Magni cognomētū meruit, deprōpsi. Nā Magnus oim superiorū gloriā, bellica uirtute loge superauit.

B iij Hic

## EXHORTATIO HV T.

Hic ille est qui breui tempore maxima con-  
fecit bella. Qui cum Asia imperium confir-  
masset, Cōstantinopolim summa nostra in-  
famia, summo dedecore, alterum Christia-  
ni orbis oculū, nobis ademīt, Peram in de-  
ditionem accepit, totam prostrauit Græci-  
am, uniuersum orientis imperium concus-  
sit, eiusq; & titulū & sedem occupauit. Hic  
ille est, qui ad deditiōem coacta Mysia in-  
feriori, superiorem quoq; capto ac interem-  
pto eius principe, obtinuit. Hūgaros mul-  
tis ac magnis affecit cladibus, Totum Illy-  
ricum bello contriuit. Et ne quis Germani-  
am ab hoc intactam putet, ex prouincijs no-  
stris depopulatus est Carniolam, è Croacia  
prædam abegit, Carinthiæ ac Styriæ uasti-  
tatem intulit. Nec segnius Italiã aggressus,  
in Appuliam classe trāsmisit, unde magno  
captiuorum numero, simul iumentis ac pe-  
coribus abactis, in foro Iulij Venetis occur-  
rit. Post Rhodum circumsidens, obstinatissi-  
me per totos tres menses oppugnauit. Idem  
Peloponneso tributa imposuit. Mytilenen  
expugnauit, ac Eubœam adortus Chalci-  
dem cœpit. Hic ille est, qui Trapezuntum  
eum debellasset, imperio suo Pontum adie-  
cit

## AD PRINCI. GERMA.

cit. Interim in oriente Sulthani copias ceci-  
dit, Arabes compressit. Cum Persis, Medis  
ac Assyrijs, strennue confligit. Per omnia for-  
tis ac propè inuictus, & omnino talis, qua-  
lem Selinus auum uelit. Qui cum iuuenis  
res iam tantas gesserit, ut terrore nominis  
sui totum orientem percussum habeat. Ita-  
liam quasi obsidiōe cinxisset, ita metu pre-  
mat, Hungaris terrorem incusserit, omni-  
bus uastitatē ad excidium minari audeat,  
audeat, quid acturum putatis, ubi simul cū  
annis animi quoq; robur, consilium ac re-  
gerendæ prudentia creuerit? Aut qd de eo  
expectare licet, qui quū adhuc incognitū  
eius apud has nationes nomen esset, eorū  
compos factus est, quæ uix ulli maiores sui  
sperare ausi sunt? Atq; hæc talis, tam ferox,  
tā immanis, tam impetuosa belua, cōcitata  
furore, inflāmata rabie, expeditionē in nos  
ducit, ac ita ducit, ut apparatus ad bellum o-  
mnibus, propè adsit. Quot diebus enim si  
terra uelit, è Mysia ad nostras in Illyrico p-  
uincias accedet? Aut si mari, è Græcia Brū-  
dulium? Proinde ò princeps cū in propin-  
quo habeamus hostem, ualidissimis instru-  
ctum copijs, & cui omnia bello necessaria  
B v ad

## EXHORTATIO HVTV.

ad superfluitatem usque suppetunt, qui milites, ducit, non Asiatica eneruatos mollitie, sed iugi (mihi credite) induratos militia, non per immodicum uoluptatis usum languentes corporibus, sed assidue bellando, confirmatos animis, non domestice luxurie desiderio respicientes ad patriam, sed glorie cupiditate, nostram accelerantes uictoriam, qui splendidissimorum conscius sibi facinororum, deinde ditissimarum nationum auctus spoliis, esurientissimus glorie iuuenis, animos sustulit, & successu prioris fortunae inflatus, omnia amplissima sibi proponit, hunc talem inquam hostem cum in propinquo habeamus, ita ut nullo iam mari, nec ita longo terrarum interuallo discretum a nobis bellum sit, non ad resistendum uos accingetis? Non implorantes auxilium uestrum Christianos omnes audietis? Non in summo rerum discrimine uos excitabitis? Denique non defendenda saltem Germaniam consilium capitis? Quam uos ista dedecet quies, ne dicam desidia. Et dico desidia. Quid enim uel domi agimus interim struemus? Atque igitur sic puto, magis ista decet uos desidia, quam Hercule muliebri uestimentum. Id est quam bellatorem uirum, colus

&

## AD PRINCI GERMA.

& lana. Quocirca quia prope periculum est, & ingentis adipiscende glorie in promptu occasio, exurgite, exurgite. Nunquam rectius moniti estis ut Germanos uos esse meminisse uelit. Iam nulla de nobis bona apud exteros opinio est, uestra culpa. Desidetis enim ac inglorij per otium torpetis, nec nostris utimini uiribus. Nam quid aliquis ad admiratur, nullam de nobis preclaram peregre famam diuagari? ferrum quoque & aes nisi exerceas, splendorum perdunt, ac rubiginem induunt. At gerite bellum, & nos exercete, statim uetus reuigebit gloria, statim Germana recalescet uirtus, non minus quam sulco attritus uomer splendescit. Et hoc unum est consilium, quo possitis sinistram de uobis opinionem abolere, ac ueteris ignauie dedecus, nouae uirtutis gloria compensare. Fertis enim illam adhuc Germaniam labem iniuri, illam imprimi ignominiam, ut non ausa resistere Turcis credatur? Vultis illud maiorum uestrorum, uirtute partum imperium deserere? Immo uero mauultis o principes seruire Turcis, quam mundo imperare? uultis ultro iugum, cum depellere facile possitis, uobis accersere? Quam sunt omnia turpitudinis, omnia dedecorum plena

Et

## EXHORTATIO HVT.

Et quàm nisi resipiscamus nihil est in Germania germanum. Nostri maiores, ut ab antiquissimo repetam, omnium uirtutum opinione commendatos orbì terrarū olim Romanos, non sustinuerunt. Et externum hic imperium adeo prohibere conati sunt ut ultima omnia experiri uellēt prius, quàm Romanum haberent dominum. Idq; effecerunt. Vos Turcas à spurcissima omnis barbariei colluuiōe proflatam gentem, & quæ ad uos, nō ut imperet, sed ut occidat, uenit, infensos religioni, ac nomini Christiano plusquam credi possit, inimicos, feretis reges? Quæso uos agnoscite, & quàm in tanto periculo, tot se ultro offerentibus occasionibus, non deceat Germanos otuari, cogitate. Quanquam ut nullum tantum sit periculum, nec uos urgeat quicquā, tamē quàm sit propriū hoc Germanis, semper aliquid pulchre conari, semper ad aliquam respicere laudem, aliquod uelle decus parare, in mentem reuocate. Tum imperij huius quā esse uobis curam cōueniat. Potest enim ita uestrum aliquis odisse gloriam, ut augeatur an minuatur imperium, iuxta æstimet? Plane Germani estis, atq; ut huius temporis

## AD PRINCI GERMA.

ris non sit, uim ac iniuriam hostiū à uobis arcere, perpetuo tamen gloriæ studium colere debetis. At necessitas etiā gerendæ rei incumbit. Summa imperij agitur. Consternata metu Italia est. Per Hungariā pauior ingens. Nobis uastitas, nobis exitium imminet. Vultis his in casibus quicquam agere potius, quàm celerrime exercitus cōscribere? Arma, uiros, ac equos, denique quorum usus est ad bellū, quærere? Et prius omnia parata habere, quàm ille uos repente turbo impetat? Illa in uos omni cogitatione uelocior procella ruat? ac uideat ne quos alijs auxiliū ferre piguit, hi nimis tarde imperij huius reliquias conseruandi, ac tuendæ Germaniæ consiliū ineatis. Nam quæ sunt usquam munitiones, per quas ille sic paratus, sic accinctus hostis, si hodie uelit nō irrumpat? Aut quæ parata præsidia, quibus si irruerit expellatur? Et facessant hic mihi quidam ex infimis uestris consultoribus, quasdam syluas, quosdam cōmemorare montes, quasdam paludes. Ignorum sunt ista, non fortium, fugam meditantium, non pugnam, Latronum, non bellatorum. Quibus ego, quādoquidem omni-

## EXHORTATIO HVTV.

no sunt, quibus ista infedit turpitudine, meliorem à dijs immortalibus mentem, aut si huius capaces non sunt, aliquam precor subitam mortem ne supersit, cuius ignauo consilio res nobis pulcherrima interuertatur, ac ista huic nationi succrescat infamia, ut aliud maluisse dicamur quam bellum, & repente bellum, ac aperte bellum. Proinde desinant quidam, si sic cadat, fugam sibi prospicere. Desinant ista cogitare latibula. Eadem mala, & qui pugnabunt, & qui fugient, proposita sibi meminerint, non eadem bona. Quanquam non eadem etiam mala. Nam ut illos sua semper gloria excipiet, etiam salus, si nos respexerit deus, Ita hos ignominia, dedecus & infamia prosequetur, uiuos ac mortuos, & quicumque euentus fuerit, duriora omnia, turpiora ac foeda magis. Certe magnam miseriae partem auferet illa uirtutis recordatio. Neque deerit forti cuique, si ceciderit, quo se consoletur. Nam & restituisse, & pugnasse, & pro patria pugnasse, & non succubuisse, nec ullam tulisse indignitatem, etiam aliquid forte dignum memoria, dignum laude commisisse, ac quantum in se fuerit superasse gaudebit, ut quod

## AD PRINCEM GERMANIAE.

quod accuset, praeter fortunam nihil habeat. Semper enim strenue pugnantem, ut incertus proponitur exitus, ita quicquid acciderit, certa uirtutis existimatio, ac propria quaedam & peculiaris gloria. Cum interea desertor ille, nullius sibi boni consilij, nullius elari facinoris conscius, simile quiddam patietur his, qui quod ipsi ultro abiecerunt, magno alij usui esse uident. Tum illud credo Turcis, quales quales sunt, commune nobiscum esse, ut sicut propensiores in strenuos misericordiam, ita districtius in timidos odium alant. Quorsum haec? ut praeposteros illos consultores à uobis ablegatis nedum, non audiat ac sequamini. Nihil Germani tatis istiusmodi suasiones sapiunt. Idcirco cum suis authoribus extremum contemnent. Quid enim fertis eos qui dedecus proponunt, & ad infamiam ducunt? Quin arma sumitis & populum Christianum metu ac periculo liberum redditis. Iam huic succurrere morbo, hoc extinguere incendium licet. Sinite ulterius grassari, frustra medicinam adhibueritis, frustra ualentem malo uos opposueritis. Summum in mora periculum, ma-

## EXHORTATIO HVT.

manifesta in cunctatione perniciēs. Atque ista, si quid infeliciter, quanquam latiora ominor, tamē si quid infeliciter cadat, quāto nobis, quā alijs durior conditio est? Si quidem à Gallis aurum sperat Turca, sperat à Dalmatis, Hungaris, & Illyrico, à Germanis non sperat. Idem magnas Italiae opes ac soli fertilitatem inhiat, horridum Germaniae caelum refugit. Vbiuis potior illi quā hic lucrandi spes. Atque igitur durius habet eos uictor ille, qui se minoris rediment. Sanē praedae ubertas uictoris irā lenit, qui tanto minus occidet, quāto spoliōrum amplius consequi licebit. Satiabunt haec hostilem avaritiam, & quorum pecuniam abstulerit, facile uitam sinet. Nostrū quid aliud petit, quā uitam, quā sanguinem? Adde hoc, quod non illi minus quā terrarū orbi persuasum est, bellicosissimā esse hanc nationem, gētem indomitam, inuincibilē. Nolit igitur superesse quos timeat. Nolit uiuere, à quibus sibi metus sit. Nolit perniciē imperij sui incolumem esse. Voleat hunc erutum periculorum suorum fontem. Voleat hanc extirpatam calamitatum suarum radicem. Et ubi semel (quod deus auertat) occidere

## AD PRINCI. GERMA.

cidere in nobis coeperit, non cessabit, donec usquam suppetet caedi materia. Non patietur remanere malorum suorum semen. Auferet omne timoris sui fomentum. Extinctū uolet à quo, si maneat, metum sibi futurum sentit. Quamobrem, ut prius monui, nō sic putate illū uenire ad nos ut imperet, uenit, uenit ò principes ut occidat, ut iugulet, ut interficiat, ut excarnificet, ut ex nostro interitu uoluptatem capiat, quando quidem ex uictoria fructum non sperat. Venit, ut nos pessundet, nostras uxores ludibrio habeat, nostros liberos strāgulet. Venit pro Christo, ut totum penitus Germanicū genus extinguat ac deleat. Ille principes ille, qui nō pueris, non senibus, nō mulieribus, qui parcat. Natum ante ora patris, patrem qui obrūcat ad aras. Qui sepium palis infantum corpora suffigit. Qui ē pregnātiū matrū uteris, nondum natos excindit foetus. Qui in omnes omnis sexus ac aetatis, nouissimo crudelitatis exemplo grassatur. An uobis excidit qualis illa fuerit Constantinopolitana clades? misera captiuitas? luctuosum exitium? Et non adhuc recordamini multarū in Europa ciuitatum, quas partim nostra,

C partim

## EXHORTATIO. HVT.

partim adhuc patrū nostrorū memoria de-  
bellauit hostis? Ne uero ex illa Sulthanici  
belli fama aliquid putate fictū. Nīmis uera  
sunt omīa. Quædā etiā ueriora quā in  
nostram cadit fides. Nīmirū, qui quod du-  
bitari non potest quā sit pudendum, Tur-  
cas tamdiu tot nos cladibus afficiētes, non  
nouimus, nedū quæ gerāt magnificimus.  
Quibus dum hic otiamur omīa foris inco-  
gnita sunt. Qui dum omnē domi atate agi-  
mus, ubique Germanos esse arbitramur.  
Quorū ciuilitati ac mansuetudini, illa peni-  
tus ignoratur barbara feritas. At ille sic na-  
tus est, sic altus ac educatus, sic assueuit, ut  
occidat, ut torqueat, ut supplicio afficiat.  
Semper humanum sitiens sanguinem, sem-  
per cædis ac torturæ famelicus. Qui ut ma-  
nifestius habeatis qualis sit, & quā non  
possint per naturam, si uelint misereri Tur-  
cæ, domi inuicem ordiuntur cædem, fra-  
ter fratrem, ac fratris aut sororis prolem in-  
terimit, filij patres, rursusq; patres filios  
obtruncant. Breviter, patriū illis est, ne  
quos sui sanguinis superstites habeant. In-  
stitutum est enim Turcarnm, ut cui regnas-  
re cōtigit, omnē in uniuersum deleat ppin-  
quitas

## AD PRINCI GERMA.

quitatē. Ut rectissime senserit, qui dixit, felī-  
cius apud Turcas seruū quā regem nasci.  
Igitur, cui parceret, q̄ suo nō parceret sanguini?  
aut quē seruātū ex hostibus uellet, q̄ suæ do-  
mi, ex suo genere ferre neminē potest? De-  
niq; ulli suspicio est, mitē fore eum uictorē,  
cui cū ingenitū est acerrimū aduersus Chri-  
stianos odiū, tū uel maxime studet eos per-  
dere, à quibus pernitiē ipse sibi prospicit?  
Adeo omīa nobis à Turcis infensa, & atro-  
cia imminent. Neq; ego sinā nisi me nō au-  
ditis, ullā putare uos humanitatis aut dexte-  
ritatis in hoc portēto micam residere. Ita ut  
si uincat (uincet autē dubio procul, sic expe-  
ditus, sic paratus & exercitus, nisi uos celer-  
rime in mediū cōsultis) actū de nobis, actū  
de imperio, actū principes de religione pu-  
tem. Quare uos peruelim integra adhuc re  
quid fieri oporteat decernere. Altera peri-  
culi pars intra Germaniā nobis obuersatur  
magnū & ipsum malū. Quod cum manife-  
stius sit, quā ut oratiōe explicari uelit, pau-  
cis tactū mittā, si uos prius monuero, ut illā  
tertio ab hinc anno apud Vuyrtenbergen.  
ortā cōiurationem, in memoriā reuocetis.  
Quæ cum ex eadem caussa, qua nunc quo-

## EXHORTATIO HVT.

rundā animi incitantur prouenerit, ac unius non ita magni territorij fuerit, & tamen ingentem omnibus metum pepererit, quid futurum putatis, si (quod deus prohibeat) egētes isti, quæ p magna undiq; turba est, rerum penuriam conquerētes, non esse bellum clamantes, uestram principes desidiā accusantes, rerum gubernacula contumeliose criminantes, inconsulta plebs, furiosa multitudo, insanū uulgus, si tales inquā, ista ex caussa, sic incitati, ad aliquā coniunctionem, illud, quod diu iam agitant, consilium perduxerunt, quam cladem, quas strages, quam uastitatē præsumere licet? Profecto non cum solis Turcis bellū nobis est, Quamquam si uos uultis, cū solis. Nam quod nos hic urget periculū, si hostibus obuertamus, omnem semel metum, omnem discriminis suspicionem e medio sustulerimus. Quæ cum ita sint, ac uos abunde intellexisse putem, quam sit necessarium hoc bellum, quam coactum. Deinde quales gerendi occasiones. Nunc in id intendite quod secundo loco proposui, quo consilio rem pulcherrimam aggredi liceat. Quod sit remouendum obstaculum. Quam e medio tolle

re

## AD PRINCI. GERMA.

re oporteat difficultatē. Deniq; ad hanc expeditionem quid requiratur. Et quomodo quidem possit hoc bellū facile geri, duabus præsertim in rebus uersatur, Communi cōcordia, & ut unanimiter imperatori pareat Germania. Nam quod tertio loco quærat aliquis, unde com meatus suppetat, minus sollicito ago, certus si hæc duo, quandoquidem de ea maxime à uobis desiderantur, præstiteritis, non defuturum in alijs consilium. Quo sic habente, Cōsiderate oro ac perpendite, quam nullo negotio, quātis bonis fundamenta iacere liceat. Qualia sunt enim illa quæ uos dissidere faciunt? Nonne qui uestrum maxime iniuria se affectos uolūt, aliquid de finibus sibi suis detractū querūtur. Atq; hac ferè caussa potior ac maior nulla est. Reliquæ uiles, contemnendæ, & quæ nihil momenti habeant, quod in magni uiri animum cadere dignum sit. Nimirum inuultili ambitione uos ab amicitia, ac mutua caritate abstrahente. Nam ut ista præclara dicatis, ac ferro & igni persequenda putetis, quod aliquis prætexit ius sibi suum detractum, in suam ditionem concessum. Quod alius arguitur temere se rebus immiscuisse alie.

## EXHORTATIO HVT.

alienis, alius turbatas sibi possessiones clamet, pulsatum uillicū, ac homuncioni uim illatam quam nisi ulcisci ipse ultro cupiat, ille ne queratur quidem, ut inquam huiusmodi præclara sint, & ob ea uindicanda cælum terræ uos miscere conueniat, hæc quomodo ferentur diutius, ob præreptum inane nem titulum, ob superiorem petitum in cōfessu locum, ob aliquod arrogantius prolatum uerbū, ob ea quæ ex stemmatum iactatione oritur offensionē, omnia ferociter agere omnia hostiliter, omnia crudeliter. Audite me igitur nō inutiliter monentē, nec penitus ignarū, de uobis Germaniæ uulgus quod sentiat, quando quidē audio quid loquatur. Sic passim aiūt. Ferre possumus ut uobis imperēt isti, ut nos cōminuāt, ut destruant, ferre nō poterimus. Aliquādo quosdā petemus fōtes, unde ista emanāt exitia. Aliquādo cōtra morbida capita, unde isti descendūt pestilētes morbi, uī ac uiolentia infurgemus. Quādo quidē pereundū est, mali solatiū erit, unā cū his quæ perditionis causa fuerūt, perire. Hæc illi quidē loquunt, ac uereor nequi sint, qui iā facere quæ si possint, uelint, quæ in uos durius cōsulant, qui ad ultima

## A D PRINCI GERMA.

ma adspirant. Quāobrem tempus est principes, internas componere lites, ac penitus extinguere, & contra Turcas hac animaduersa occasione, alacriter nos inuadētes aliquid aggredi. Tempus est inquam, cōcorditer mutua nos ope tueri, ac imminentē nobis perniciē propulsare, ne ad extremā acti necessitatē, non ita quod eamus, sed quomodo maneamus quærere oporteat. Id est nō consulere, quem aliquē bello impetamus, sed quemadmodū misere afflictī, ac ad ultima coacti, salutē inueniamus. In summa, tempus est aduersus eum, qui postquā maximā imperij partem nobis ademit, nūc uitam petit, ac uniuersæ Germaniæ excidiū molit, experiri, facile hoc fiet, si uoletis. Ac nisi hæc sint impedimēto, nostro etiā cōmodo, nostra laude, ac gloria fiet. Cū possitis igitur minimo negotio maxime uobis, maxime omnibus pdesse, quæso in cōmunem redite pacē, ac istā tot bona secū afferentē concordiam amplectimini. Quæ ut cognoscatis, quam uos deceat, credo mecū sentitis, nusquam magis conuenire tranquillitatem esse, ac mutuam uigere dilectionem quam inter affines & cognatos primum, deinde,

## EXHORTATIO HV T.

ciues etiã & populares. Attota Germania, ut neque ciuitatem intueamini, neq; popularitatis respectu ab illis pestilētibus discor dijs abducamini, quàm lata est, quàm ampla, ac populosa, una quædam semper affinitas fuit, una cognatio. Sic compertum est enim indigetes esse Germanos, nec ullam aliquando exterarum nationum, mutandi domiciliij causa, hunc immigrasse. Et sunt qui ab hoc Germaniæ nomen à Latinis inditum putent, ut Germani quasi fratres dicantur. Quicquid est, unanimi inter historicos sensu conuenit, semper hanc nationem sibi constituisse, ac ab se pependisse, ex seque propagatam, neq; unquam externarū gentium permixtione infectam. Quæ puritas, quæ germanitas, apud nullos, qui quidem cogniti sunt, populos, ita conseruata est, ut non aliquando res simul ac homines mutarentur. Cui rei documēto esse possunt, finitimi maxime nostri. In Pannonias transierunt Hunni, & Scythæ. In Sarmatiam Gothæ & Daci. Ex nostris uero, ut nunc, hominum olim multitudine, terræ fecunditatē superante, migrauerunt aliqui in Gallias, & multi ac sæpe migrauerunt, alij obtinuerunt

## AD PRINCI. GERMA.

runt Hispaniarum partem. Lāgobardi nostrum & ipsi genus, non pessimā Italiæ portionem, pulsus qui incolebant, habitandam acceperunt. Saxones & Scoti Britanniam. Vindelici, Sueui & Norici, quicquid iuxta Athesim ad Tridentum usq; est. Tum maiorem Illyrici partem, & quæ in illis Alpibus incoli poterant. Præterea in Italiam trāsierunt Græci & Galli, rursumq; in Græciā Galli. In septentrione uero, quantum terrarum in ipsam usque Scythiam nobis accreuit, ac à nostris incolitur hominibus? Tam uarie in propinquo mutantibus se rebus, una hæc natio, qualis ab initio fuit, ita mansit, ut hodie ultimus quisq; ad primum aliquem referre possit suam, si uelit, originē. Nunquam enim apud nos confederunt exteri. Nunquam alicuius nationis huc se misit superfluitas. Verū ut obtinuimus, ne quis nobis externus imperaret, ita factū ne qua aliunde iactata gens, hic sedes figeret, hic domicilium locaret. Adeo, ut perraro etiam externa sibi connubia maiores uestri principes, quo ne illa uitaretur Germanitas, admiserint. Quæ cum proposita uobis habeatis, operam non dabitis, ut qui hanc à

## EXHORTATIO HVTV.

rerum primordio coniunctionem in hoc usque tempus deduxistis, semper ciues, semper populares, immo semper cognati, semper fratres, domesticæ concordiaæ præsidio, non solum ab exteris tuti, sed orbì etiam terrarum formidabiles, sitis? Aut si quid antehac erratum est, quod mutari non potest, compensari potest, ac refarciri, nunc in magna rerum necessitate, non omnibus depositis passim simultatibus, offensis, ac inimicitijs, unanimi consensu Turcis (qui si hæc desit, quam ex uestra dissensione operiuntur, occasio, frustra in nos impetum fecerint) obsistetis? Sed ut nulli sint Turcæ ut nullus alius de metus, tamen ipsi Germaniæ opus est concordia principum. Quam nisi statim obtinuerit, suis ipsa peritura uiribus est. Atque hoc quis non sentit, qui modo uidet, uestrum quotidie aliquos friuolis ex causis, mutuas incurfiones facere? pecora abigere? uillas ac uicos exurere? agros populari? segetes obterere? finitima quæ quæstare reddere? iam etiam urbes obsidere ac expugnare & quasi Turcarum regiam cœperint, sic intra Germaniæ nonnunquam oppida igni ac ferro grassari? Nec à me tamè dici ista, quasi omnes uos tra-

ham

## AD PRINCI. GERMA.

ham in hanc culpam putetis, aut de omnibus sit hæc fama. Id quod semel præfatum esse satis uolo. Omnia sunt qui hæc faciunt aliqui. Et qui (sed uenia dicto sit) discordijs ac seditionibus, miro studio, & apposita diligentia dant operam. Qui rapiunt, ac diripiunt. Per quos sit, ut, quod iste MAXIMILIANVS summo conatu prohibere studet, ne unquam atrocitatis non abundet Germania, ut deuastratur patria ac comminatur. Ut tranquillum sit hic nihil, omnia turbis ac tumultibus plena. Quam indignitatem si qui exteri inueherent, parati essemus atrociter ulcisci. Nunc cum his authoribus destruamur, quibus defensoribus tutos esse oportuit, continemus nos quidem, sed tamen non nihil sæpe per impatientiam mussitant, quibus liberior est natura. Atque aliquem nonnunquam exclamare audimus. Istud uero est ouili lupos præfici, capro uineam, capro hortos committi. Quosdam his atrociora. Quæ cum eò tendant, ut nisi uos istum emendetis statim, à uestris uobis periculum sit, desinite tandem inuicem uos collidere. Desinite nihili contentionibus Germaniam perdere. Atque hic nisi me auditis, uos inquam qui hæc facitis, nisi

nisi

## EXHORTATIO HV T.

nisi me auditis, uereor ne aliqd se indignū uideat hæc natio. Sed audite quaeso, ac in uiam redite. Et nisi mox omnia uobiscum ruerere uultis, aliquādo reip. oculos ac manus admouete. Nam ubi (quod deus prohibeat) in illam uulgi secessionem res inciderit discrimen nō erit, nec ratio habebitur, quātum quisq; aut omnino quis nocuerit, uel in quem experienda ultio sit. Cum nocentibus innocentes petentur, & nullius habitatione, per infaniā passim sauietur. Id qd cauere uos oportet, ac in publicum consulerere, & ad ingratiā reditum hortari, ac inuicem aliquid concedere. Quod si adeo necesse non esset etiam, magna tamen cum omnium utilitate, uestra laude fieret. Quid nī? Cum nefas sit rem priuatam publica potiore ducere, ac uestra dissidia huiusmodi sint, ut domestica cuiusq; aut inanem etiam ambitionē referāt, interim quicquid ex quauis parte perit, publico pereat, quicquid uni detrahitur, omnibus detrahatur. Ita eritis inuidia excæcati, ira immutati, ambitione peruersi, aut ita laudis ac bonæ opinionis contemptores eritis, ut non aliquādo sentiat quid uos deceat. Et decet uos ob publicam utilita

## AD PRINCI. GERMA.

utilitatem, ob commune bonum, domesticas deponere similtates, omnem inter uos abijcere offensarum recordationem, nulli suā inuidere fortunam, intestinam pacem accersere, publicam concordiam amplecti, multa inuicem condonare, multa remittere. Videtis eos qui multa alijs concedunt etiam de suo, & qui nonnunquam prece ac pretio pacem emūt, plurimum interim augeri, plurimum ditescere. Hoc exemplo, ut publicis cōsultum sit, priuata contemnite. Quanquam quo consilio, sua cuiusq; magis floreant, magis aucta ac amplificata erunt, quā si publicis studeatis omnes? Nonne uestrum nemo est, qui alij noceat, quā sibi prius ipse nocuerit? Ita nihil fructus cum habeant uestræ contētionēs, plurimum calamitatis ac miseræ afferunt, nonnunquam plus his, qui contumacius bello student. Si igitur non solum non accrescit inde uobis aliquid, sed decrescit etiam nimium, & si, quod Germania perit, omnis in uos culpa rejicitur, quaeso tandem resipiscite. Unius arboris rami estis, unius corporis membra. Patiēmini nobilem stipitem concutiētib; se inuicem ramis suo nudari honore

## EXHORTATIO HVT.

nore suis priuari fructibus: Probabitur si in egregio corpore mutuo conflictu intereant membra? Quid aliud sibi enim uult istud uestrum dissidium, quam si manus manui, pes pedi, aut caput uentri bellum indicat, uel in illa arbore, si ramus rimum inuadat ac abrumpat, ut arbor truncus sit, ut corpus cauer? Quæso illius mementote Menenij Agrippæ Romani, beneficio historicorum non incogniti uobis Apologi. Dixi iam semel ac iterum, quod uni uestrum aufertur omnibus aufert. Singulorum malum, commune malum est. Proinde ut audacius loquar, desinite inutiliter disceptantes publicum minuere bonum. Desinite inter uos rixantes uexare Germaniam, perniciem inferre patriam. In summa desinite in causa esse ut pereant Christiani. Iam hoc nisi facitis, nisi huic paretis monitioni (neque enim meo nomine dico, uno isto omnium Germanorum ad uos clamore perferri credite) nisi nos quorum membrorum capita estis affligere ac perdere desinitis (dico uenia ut prius uestra, & illis dico, qui huiusmodi factorum conscijsibi sunt) uidebitis contra suum aliquando caput quasdam manus, quosdam insurgere pedes. Et tunc uos  
quidem

## AD PRINCI GERMA.

quidem tantum mali auctores, quod excitastis, uestra ruina aletis incendium, ac simul ipsi conflagrabitur. Utinam hic aures uestras, nescio, qua iam olim cæra, quo bitumine obturatas, pro hortatu penetrem. Fortissimi uiri, nobilissimi principes, ne intereat Germania, ac in ipsa uos Germania, ne res Christiana funditus ruat, ac ei uos ruinæ causam præstetis, quæso deponite simultates istas, quæ uos publico inuoluunt odio. Istas coercete iras, quæ furoris causa uulgo sunt. Ambitionem constringite, quæ in commune expatiatur malum. Compescite in testina bella, ac istos intra patriam ne alite tumultus. Aut si libet bellum gerere, & quiescere non libet, si animus irasci, litigare, præliari, tumultuare, atque adeo insanire si animus gestit, causa est, occasio est, ut honestissime positus, ut uestro, ut communi totius patriæ, ut omnium Christianorum commodo illam irarum ac simultatum tot iam annos confluentem in uos Iernam, eluatis. Fortis enim ista euomere conuenit. Quod nisi facitis, & intra uos grassandi finem facistis, non feret populus Germanus, qui sic imminuitur, sic affligitur, sic pessundatur.  
Non

## EXHORTATIO HVTV.

Non feret inquam, sed uolet suum incommodum, quandoquidem hinc prodijt, uestro refarcire malo, & timeo ne maxio malo. At fingite mitius consulturam inconsultam plebem, ac si qua in uos coniuratio moueatur, si quis tumultus insurgat, fore, ut ad conditiones adigamini, fore, ut quaedam quibusdam morbis medelae apponatur. Tamen amarulentum erit hoc remedium, mordax & doloris plena medicina. Quando igitur per uosmetipsos conualescere uobis licet, ac secum habet quisque medicinam, ut non opus sit aliunde cum dolore aut molestia accipere, ut consultum sit uobis, in publicum consulite. Ut uos seruetis, nostri curam agite. Maxime uos petet, ac acerbissime feriet, unde, unde illa ruat tempestas, illa decadat procella. Quod si nullo publico malo uestra essent dissidia, tamen quia turpe est, inter Germanos externo laceratos bello, ciuiles esse discordias, intestinos excitari ac alitumultus, ne committite, ut a uobis publica prodijisse turpitudine putetur. Nam si turpia sunt haec, quacumque ex causa, aut cuius cuius uia a quo proueniant, quanto turpiora censenda sunt, ubi a Germaniae principatu, atque

## AD PRINCI GERMA.

que a nobili illius splendidi corporis capite, quam si aliunde descendant: Nullus magis deformat, quam qui facie inuasit morbus. Ne mihi irascimini, ne molestius ferte, sed ciuiler accipite, in uobis quae insunt uitia, maxime uos dedecent, quandoquidem isto censetur capite, ab hac spectamur facie. Ergo igitur resipiscite, ac ne omnes pereamus, uos seruate. Conualescite capita, ne omnia uniuersim comoriantur membra, ac illud ne intereat corpus. Vos boni ac mali omnes fontes & origo, alio iram, alio discordiam, ac lites, In nos pacem spargite, in nos quietem ac mutuam dilectionem emittite. Donec enim istis uitij operam datis, omnes sibi licere putabunt, uim inferre, iniuria pulsare, aliena rapere, Atque hinc mutuae directiones, latrocinia, caedes & a patria nihil in Germania fidum, nihil tutum. Vbi locus est ad quendam quasi priuatum meum uestra uenia, dolorem descendere. Male audimus a quibusdam equites Germani, in raptore exclamantibus. Non patrocina bor crimini, a quo longissime semper abfui, a quo abhorruui, quod detestor. Illos tamen qui qui sunt non patiar alij molestos esse, &  
D festu-

## EXHORTATIO. HVT.

festucae quaestionem mouere, priusquam de  
 criminis causa, & illa in oculo suo trabe per  
 tractatū fuerit. Quid dicam? Multis certe  
 uerbis haec agenda causa erat, sed dicā bre-  
 uiter. Quia ex principibus sunt, qui rapiūt,  
 quidam (quo alio enim uerbo utar in re ta-  
 li) qui rapiunt inquam, atque in illis nos ex-  
 ercent rapinis, & quia in aliorum inuidia,  
 alij ad latrocinia conuiuent ac alunt ipsi la-  
 trones, deinde quia non geritur bellū foris,  
 ut sit quo se multi egentes sustineant, quo-  
 niamque nonnunquam nobis quoque per uim  
 auferunt potentiores, quoniam ista inquam  
 fiunt, & docemur & cogimur latrocinari.  
 Atque ideo minus erramus nos, quia ex  
 emplo erramus. E uobis istiusmodi causa  
 malis prouenit, huic incendio fomentū sup-  
 petit. Quod si detraxeritis, omnia cōfestim  
 sana erunt, omnia integra. Penes uos est, sal-  
 ua omnia uelitis, an perditum ipsos uos ire  
 iuuat. Sed quis perditioni modus? Quin  
 reditis in communem gratiam, ne frustra il-  
 le monuerit, qui dixit, Cōcordia paruas res  
 crescere, discordia magnas facile dilabi.  
 Non haec sunt uobis irarum causae, quae nō  
 uel uno quopiam amico colloquio tolli pos-  
 sint.

## AD PRINCI GERMA.

sint. Quaedā ut dixi inanis ambitio est, quae  
 uos dirimit. Cui quaeuo uel ad tempus resi-  
 stite. Magni est animi imperare affectibus,  
 ac rationis ductu agi, nec ferri cupiditatum  
 raptu. Erigite uos, ac altius rem introspici-  
 te. Nihil tale inuenietis, si uel ex uoto illi  
 ambitioi respondeat deus, aut fortuna, quod  
 cum huius concordiae bono conferendum  
 sit. Dixi unius corporis membra esse uos.  
 Date operā singuli, ne quid à quouis mor-  
 bi in uniuersum proficiscatur. Atque ibi ambi-  
 tiosos esse uos maxime uelim. Quid salubri-  
 us enim huic imperio, id est corpori nostro,  
 quam si uos ut principalia membra, circa cō-  
 muni salutis curam ad aemulationem usque  
 contendatis? Et faxit deus OPT. MAX.  
 ut isto uos aliquando teneri studio uideam.  
 Tunc sanescent enim quibus uos morbum  
 induxistis. Tunc ista sibi constabit resp. Vi-  
 detis humanū corpus ut laboret, nisi quod-  
 que membrū suum faciat officium? Sic in im-  
 perio est, cuius uos consiliū ac senatus  
 estis, qui nisi recte consulatis, iam ista  
 soluetur compago, ad quam conseruan-  
 dam, opus est summa coniunctione, quā  
 oro, omnes appetite, omnes accipite.

Dij Huma-

## EXHORTATIO HVTV.

Humani quoque habitudo corporis ex rebus constat maxime discordibus, sed quæ coniunctionem patiuntur. Qualis enim temperatura ex humido & sicco: Rursumque frigidum & calidum quæ apte ibi conuenerunt? Atque hoc natura dedit, quam quia bestiarum quoque rationis inopes sequuntur ducem, agere aliquid hominibus dignum, nedum principibus, usurpate. Vel in odium Turcarum, quibus ista dissensio usus maxime est, conuenire uos iuuerit. Profecto enim ut dissidentibus uobis magno illi fruuntur commodo, ita non ignorant quid se consequatur, si quando uos deus aliquis coniunxerit. Quæ apte igitur in hos contulerimus, hanc concertationem, hos tumultus. Atque ita nos Christus amet, ut hoc consilio, totam illam barbarorum colluuiem pessum dederimus. Nam si me auditis, neque contemni à uobis Turcas uolo, neque timeri, conscius mihi quod possit Germania, si uelit experiri, ac uiribus uti suis. Sed opus est sobrietate, Opus est consilio, Opus assiduitate. Tot iam annos contra Turcas mouemus, sed quia nullo consilio, nulla ratione, nusquam promouemus. Quippe dum nos cruces suffigimus, ac uir-

ritum

## AD PRINCI GERMA.

ritum bello sumptus colligimus, dum exercitum paramus, dum ambitiose, quis terrarumque copias ducit, quærimus, dum in medijs illis consultationibus ad priuatas contentiones, ac domesticas discordias, & illas frivolas descendimus lites, Interea hostis fretus consilio opibusque suis, nostra uero usus desidia, ex Asia in Europam, iam ex utraque in Africam transit. Sed bene agitur. Salua nobis res est. Consistet enim. Iamque, tot rite peractis, quiescet. O consiliū, O prouidentiam. Non quiescet, odit enim tranquilla omnia, non consistet, nulla enim fortuna contentus est. Non fert otium illa natura, non fert pacem. Si ferre posset, ante tulisset, quando non erant tot opprimendi nos occasiones. Iam certum illi est, intestinis nos distractos tumultibus inuadere. Iam sperat totam in nobis absoluere Tragœdiam, ac pulcherrimis cœptis & iam ultra medium quoque perductis, colophonem imponere, ac omne tandem absoluere negotium. Nisi adhuc dubitatis, quos spiritus agat, ille tot nationum uictor iuuenis, tam numerosis copijs, tanto auro, tam paratis omnibus contra nos instructus. Sed ut ille magnifice omnia, quædam

D iij etiam

## EXHORTATIO HVTV.

etiam non prudentissime sibi proponit, ita si per uos licet, statim omne à nobis periculum depellemus. Magno fateor negotio euellitur annosa arbor, & quæ iam altissime suas fixit radices, euellitur tamen. Sic Turcæ quauquam latissime imperant, ac in omnes necessitates abunde instructum exercitum ducunt, uincibiles tamen sunt. Et nisi me omnia fallant, non difficulter etiã, modo cõcordes eamus, modo inter nos haud disceptemus. Id quod in uobis quia sitũ est, præstate, ne uictoriam impeditæ principes pulcherrimam, fructuosissimam, sanctissimã. Vestra potissimum caussa agitur, uestra existimatio, uestra dignitas, quam quæso defendite ac conseruate. Nemo fortis dignitatem nisi cum uita simul amittit. Et uidetis uulgo infames, qui existimationem neglexisse deprehensi sunt. Quæ uestra fortuna est, prospicere debetis, ne quid in uos sinistri rumoris congruat. Et prospicite ò principes. Remittite inuicem iniurias, condonate offensas. Præstet publica utilitas priuato commodo. Ne sinite ob paxillum domesticæ iacturæ, si modo iactura inest, tantum publicũ impediri bonũ. Recordamini uos

Ro.

## A D PRINCI. GERMA.

Romanis successisse principibus, nimirũ Romanum penes quos imperiũ est. At cõsueuerunt illi, non sic ab hoste laceßiti, toties à suis rogati, bellum gerere, Statim accepta iniuria consueuerunt, & sæpe prius quã plebi auditu esset hostis nomẽ. Quum surdis uobis tot iam annos, eandem cantilenam occentet populus Germanus, Atque hi quanti quanti fuerunt, à nostris maioribus bellum inferentes, strẽue repulsi sunt, ac armis petiti etiam, & ut historiæ memorant, in sua Italia petiti, ac superati. In hoc rerum fastigio cum sitis collocati, his maioribus progeniti, tot annos patimini, omnes domi ac foris homies, quibus auxiliũ à uobis nullũ est, quia labentibus rebus non succurritis, quia uestros, quia imperium, quia patriam ac religionẽ negligitis, uestrã uobis opprobare desidiã? uestrã ignauã? Præter dignitatem est ista uos audire (sed audietis, donec non illã ueterẽ deletis maculam) quæ ut uos audire possitis nos nõ poterim? Creditis em̃ nõ molestissimũ nobis acciderẽ, si quis apud exteros, uestra nobis uitia, id quod frequẽter cõtingit, obijciat? Quàm inuitus namque audiui in Italia, Tales

D. iij. nũ

## EXHORTATIO HVTV.

nunc habet Germania principes. Et sciebāt illi quæ hic agerētur omnia, ac penitus quo modo tota se haberet Germania. Quæ conuiuia, qui lusus, quæ & quàm securæ cōpotationes. Tum si quando in cōsiliū coiremus, quàm id præpostere ageremus, ijdem illi compertum habebant. Erubui, quando quidem ut erant agnoui. Ita res habet enim In ludis alacres sumus, ubi seria tractanda, desideramus, ac refugimus. In rebus non necessarijs egregie exercemur, ubi seruanda quæ imperij sunt, ut ne dicam illud (quod nemini uestrum curæ hæcenus fuit) augenda, ubi defensanda religio, propugnāda patria, nihil studij, nihil operæ conspicitur. Ita semper inanis nostra est fortitudo, inutilis uigor, ut nos exteri athletas esse bonos concedant, strennuos bellatores usque negent. Quanquam ut iterum uobis aures uellam, nulla ibi militum culpa est, plurima ducū. Robustissima est per Germaniam iuuetus, ingētes animi ac ueræ gloriæ auidi. Nemo præit, nemo ducit. Sic iste perit uigor, ista languescit uirtus, ac ipsa se extinguit, in obscuro mitescens ardentissima maximarum rerum gerendarum cupiditas. Proinde qui  
iucun-

## AD PRINCI GERMA.

iucūda hæcenus ædidistis spectacula, iam etiam utilia ac necessaria ædite. Ac illas in Turcarum pectora serio cōfringite hastas, quibus in ioco & ludis mutua incurfiōe usi estis, bello quidē spectaculo, sed nullo usu. Eodem negotio decus parabitur ac gloriā accersitis quo inanem hæcenus plausum captastis. Delectāt ista quidem, & à nostris maioribus inuenta sunt pugne præludia. At uos quamdiu præluditis, aut quādo factis exerciti estis, ut aliquādo pugnemus ad uersum inimicos? Petitur à uobis fructus. Nam quæ ad uoluptatem pertinent, abunde iam tulimus. Miscete ista, ne semper ludat, semper iocetur Germania, sed aliquando sui similis fiat. Delectant cibi qui dulces sunt, ijdem salubres, simul iuuant etiam. A uiris non magni fiunt unguenta quæ olent tantum, nisi & salutare quid afferant. Contemnēdæ plurimum sunt uires uestre si exercendis lusibus tantum, non etiam tractandis serijs uigēt. Ac parum gratiæ habendū naturæ, si ludicris istas præcauit dotes. Sed non uoluit illa uos ludere, aut tantum ludere, maximas res gerere uoluit. Et iccirco istam dedit, inter omnes mundi nationes,  
D v spe-

## EXHORTATIO HVTV.

speciosissimam ac in omne robur compositissimam membrorum habitudinem. Ob quod uos beneficiū gratos erga illā esse decet, agentes aliquādo aliquid uobis dignū. Cur em̄ ista fortia brachia ludere uideamus, cum Turcis luctari nō uideamus? Cur tot armorum genera, quibus inueniendis unice Germanorum pollent ingenia, in circo & theatro spectamus, contra Turcas non spectamus? At uenādī etiam studio tenemur. Propius iste quidem ad uirtutis laudem accedit labor. Sed nō hoc ista sibi tempus spectacula poscit, Aut non totum in hoc æuum consumere oportet. Nam dum nos syluas peragramus, Turcæ regna petunt. Dū nos apros & ceruos, illi urbes ac carces illaqueant. Et ut intelligatis, quāto præstantiores nobis Turcæ uenatores sint, dū nos imbelles lepores, fugaces damas insequimur, illi amplissima ac opulentissima interim Asiæ regna ceperunt, Africæ laqueū induerunt, Magnam Europæ partem irretitam tenent. Audemus cum ista uenatione nostra conferre studia? Audemus fructuoso isti ludo steriles nostros comparare labores? Turcæ bella gerunt nos ludimus. Turcæ regnant,

nos

## AD PRINCI GERMA.

nos cum feris conflictamur. Turcæ triumphant, nos conuiuia agimus. Ecquis ludendi modus? ignauia, uanitatis ac desidia finis? Quanquā utinam ista qualiacunq; sūt potius ageremus, quam quæ paulo ante dixi, quibus in exitū Germaniæ exercemur, quando direptionibus operā damus, quando incendijs, deuastatione ac cædibus inuicem nos cōsumimus. Nam ut nunc sunt studia, aut nunquam, aut præpostere fortes sumus. Et tunc quidem animi nobis tument, uires ostentatur, cum Germani Germanos perdimus, Sed quanto magis oportuit perpetuo otīari, quā sic obire negotiū? Annis superioribus deuastata est Bauaria, Afflicta, Brabantia, Geldria, Frisia, & Hollandia, atq; in his patriæ cladibus inuenti sūt, qui gloriam quoq; affectarent. Quasi uero magnificum sit, patriam uexare, Germaniam intestinis ac ciuilibus bellis inuoluere. Et multi sic putabāt. Adeo ueram gloriam non sentit hoc tempore Germania. Et similes mihi uidentur istiusmodi affectus, quibusdam cibis, qui ut perhibent medici, nullas corporis partes neque augent neq; conseruant, uentri modo inflationem faciunt.

Nam

## EXHORTATIO HVTV

Nam quidā sunt homines, qui ut nulla honesta laudis cupiditate tenentur, ita circiter frivolas & inanes ambitiosi sunt, illis ignavis canibus similes, quod domi aduersum cicures audēt, in sylua ne leporem quidem allatrant. Nam ubi nefas est, gloriam affectant, ubi decus, ibi uero obdormiscunt. At magnifice de his loquuntur alij. Et adulationis studio, Arma uirumque canunt, & inuictos praedicant. Quos ego iubeo ista abstinere magnificentia. Stultum est enim antequam his usus sis, arma iactare, uires ostentare, ac inanes proflare fumos. Cerui quoque cum cornua habeant, & uelocitate polleant, nihilominus a minutis expugnatur bestiis. Nunquam nos sic timebunt Turcae. Res enim magnas sciunt consilijs geri, sciunt concordia & consensu, ac erga duces obsequentia. Quae donec a nobis absunt, desinite ullam putare tam imbellem nationem, quae nos timeat, immo uero, quae non aliquando oppugnare audeat. Neque tamen dubito principes maxima interim uobis aliquos promittere, ut simile quiddam contingat istis, quae in somnijs uidemus. Ut enim maxime distantia, breuissimo ibi momento coniuncta habe-

## AD PRINCEM GERMANIAE.

habemus, neque ullam locorum aut temporum differentiam spectamus, ita illos credo in medijs istis cōpotationibus, in conuiujs ac choreis, aut si quando robustius iocantur, in uenationibus subigere Turcas. Asiam diripere, Syriam ac Iudaeam in potestatem redigere. Nec moram ibi ullam, aut regionum longinquitatem, uel diuturnam nauigationem, ac maxima itinera, aut plurima terra marique discrimina, & quae obeunda sunt pericula, in rationem uocare. Sed quod eos leuissimus quisque mentis flatus adigit, eò omnia colligere. Inde omnia in spem ponere. Verum nihil ad rem. Quandoquidem non a stertentibus uinci posse creditur, qui uigilantes quoque oppressit. Nec forte ut ebrijs superent, a quo sobrijs uicti sunt. Aut a uenatoribus ut debelletur, qui bellatores cōtriuuit. Denique quis sperare audeat eos, qui leui quadam mentis agitatiōe, ab infimis ad summa transuolant, atque e terra statim caelum contingunt, rursusque ubi uolunt, inde huc demigrant, id est, nihil prouide, nihil ex ratione, sed omnia stupide proponentes, illud facturos, quod acutissimae ingenijs nationes, maxima praeditae sapientia gentes, summa

## EXHORTATIO HVTV.

ma industria atq; optimis consilijs non potuerunt. Adeo nobis consilio opus esse puto. Qui cū uidemus eos qui in tenebris, aut qui oculis capti errant, si quando pulsati ab aliquo fuerint, in incertum manus porrigere, ac impetu ferri, sed nihil agere, nobis aliquid pollicemur, quod nulla prius ratione concepimus: nullo prospeximus consilio: nulla agitauius prouidentia? Quid, quod omnia pœnè à nobis peruerse agi uideo: in cōiuijs bellica tractamus negotia. Vbi (ut nunc) de bello consultandi tempus, ludicra omnia exercemus. Quis nostrum enim, cū uocati simus ut de bello consultemus, non conuiuia hic agit: aleam ludit: aut strēnue nonnunquam bibit? Atq; hæc cum in nobis spectē, aliquid mihi polliceri debeo feliciter hoc bello cessurum, etiā si ab istis moribus nelatum quidem digitum discesserimus? Sperare licet, fore ut nos deus respiciat. In istis certe consilijs, ut nunc sunt, si fiducia ponimus, funditus perijmus. Perijmus inquam. Quid ratiōis enim, quid sanitatis inest? Ac eorum omnis ibi culpa est, à quibus perniciosum hoc prodit exemplum. Quid ni? Quorum maxima de his cura esse de-

## AD PRINCI GERMA.

se debuit, hi re pœnè perdita, securi agunt. Hi maxime seria, in leuissimum conuertūt lūsum. Ac ubi arma tractāda sunt, ibi inter pocula nocturni diurniq; sedent, & interim Asiaticos exercitus contemnere audent, ac nobis istas ostēdunt imagines, magna quidem ornamenta, sed maiorum o principes. Quippe nullo iure uirtus hæreditaria fit. At si quis fuerit, qui strēnue aliquid ipse fecerit, omnia fauoris plena inueniet, omnia laudis, Nam frustra domi stemmata seruat, qui nullo foris præclaro facinore nobilitatem asserunt. Quanquam est honor uetus stati generis, sed spe quadam in nobiles cōiecta, ut progenitoribus suis fiant similes. Quod nisi contendunt nihil magnopere titulis, nihil nominibus diutius mouebuntur homines. Nec iccirco magnus quisque putabitur, quia aurum habeat, quia purpura uestiatur, quia satellitibus stipeat. Foris ista uobis adsunt, & cū antiquis illis colossis cōmunia. Nam & illi quia uasti, & artificio exculti, foris speciosi sūt, intus sordibus ac uastitate deformes. Virtute opus est q claritudinem affectat, hac duce eminere licet, &

## EXHORTATIO HV T.

& egregiam de se famam ad posteros transmittere. At quæ in summis hominibus maior uirtus, quam pro suis, pro imperio, pro patria, pro religione, ac dijs immortalibus sollicitudinem gerere? Porro priuatam spectare utilitatē pusilli est, & à magnis rebus, longe absentis animi. Quæ nō dubito principes quorsum pertineāt quin intelligatis. Custodiam uobis imperij, custodiam orbis dii commiserunt. Canes imitamini, Nam & illi pro salute ouium anxie excubant, de se nihil magnopere solliciti. In omnium oculis uos constituit fortuna. Ad commune uestri spectaculum mundus conuenit. At nemo est quem amemus, nisi amabilem se gerat. Hoc est, nisi aliquod in eo emineat alicuius uirtutis insigne. Ac tantus quisque censetur, quantum se moribus ac animo ostendit, non quantum generis antiquitas probat. Neque id ab re, Nam & uasa, an integra sint, infuso liquore patet. Vos quales sitis, isto imposto onere cognoscimus. Ista commissa cura spectamus. Magnus nemo est, qui nō animi uirtutibus excellit. Qui à fortuna euehuntur, eorum bona, nō aliter, quam oceanus, eunt ac redeunt. Videtis istos, qui  
bus

## AD PRINCI. GERMA.

bus uos cōtuli, colossos, si male librati sint, corruere. Nihilomagis uos, nisi ab animo uestra pendeat magnitudo consistetis. Unica istiusmodi molis bases, uirtus est. Atque hæc ueram fulcit magnitudinem. In hæc uera nobilitas radices agit, quæ submota, quicquid reliquum est corruit, ac omnis repente extincta est claritas. Imperitorum oculi uestes, ac reliquum extra ornatū probant, qui sapiunt non perinde iudicant. Nam hi membrorum compaginem, & corporis habitudinem spectant. Sic ea quæ à fortuna ad sunt, non mirantur, nisi quibus nullum est iudicium. Nam prudentes ab animo æstimant. Iterum, formas qui spectant, nuda petunt corpora. Similiter de uobis qui sententiam ferunt, non ex istis uos fortunæ indumentis cēsent. Externa sunt enim huiusmodi, & ita adsūt, ut integris uobis abesse possint. At illis animi ornamentis qui eget, solo nomine princeps est, re uera nō est. Quare iterū dico, intelligitis, quorsum hæc pertineant. Nempe ut si quis inter uos sit, qui non penitus ipse se cognoscat, qui ista sibi uelit persona, quæ uel in theatro ludī fiat perdiscat. Deinde ad uirtutem, id est proprium

E &amp; pe

## EXHORTATIO. HVT.

& peculiare principis officium nitatur. Præterea ut uos ad res maximas, quarum gerendarum hoc tempore summa occasio est, adhorter. Quid enim ista sinitis rubigine obducere arma? Quid tot fortes animos suum illum uigorem, longa bellorum intermissione sinitis perdere? Tempus est, ut habeatur ratio Germaniæ, ratio imperij, ratio communis religionis. Atque inibi opus est consilijs, sedulitate, uigilantia, labore, sobrietate. In summa, opus est, nequid in uobis discrepet, sed ut omnia conueniant, & concorditer rerum curam suscipiatis, ac unanimi consensu ad finem usque perduretis. Non temere. Nam si in re ludicra musici chordarum concentum exigunt, & si quid discrepet, gratiam desperant, in serijs quanto magis opus esse concordia, opus esse foedere & coniunctione omnino firmissima putandum? Quod proxime huc pertinet, quandoquidem non minoris id momenti est, eò omnes admittimini, ut sit, qui cum ubique, tum uel præcipue hoc in bello unus præsit, unus ducat, unus imperet. Cui omnes pareant, omnes audientes sint. Quem omnes uereantur, omnes suspiciant, a cuius imperatis nullus uel tantillum

## AD PRINCEM GERMANIAE.

illud discedat. Atque is est communi uestro consensu, simul totius Germaniæ uoluntate ac studijs iste MAXIMILIANVS Cæsar. Quem quia deus OPT. MAX. ad hoc euexit fastigium, & uobis mentem indidit, ut id boni consuleretis, suffragijsque uestris concorditer imperatorem uobis delegistis, atque ille ita hactenus imperio præfuit, ut eius omnia magna, ac plane heroica, & generosi animi indicia, imperatoriam amplitudinis argumenta, perspecta sint. Quæso imperatorem agnoscite, Et si quid hactenus, non pro officio contigit, ac uos intellexistis cuiuscunque id culpa contigerit, è re uestra non fuisse, emendate errorem, expiate culpam. Nihil sine duce geritur. Nullum sine imperatore bellum. Ac magno emptum sibi uelit Turca ut uos sine duce rem tantam aggrediamini, ut sine capite membra moueantur. Sine auriga currus, sine gubernatore nauis eat. Scilicet ut uos rectore uacuos opprimat singulos, quos non potuit uniuersos. Nostis illud in euellendis equinae caudæ pilis Sertorij Romani consilium quid uelit. Ita est enim. Si uos concordēs eritis, ac sub duce eritis, nisi omnes à nobis diuis

E ij fortu

## EXHORTATIO HV T.

fortuna, oculos ac cor auertat, nihil pro sua spe efficient Turcæ, Qui, cōtra si dispersos, & sine imperatore, aut cum imperatore quidem, sed cui non pareant omnes, & cuius uilis apud suos sit authoritas, si tales nos offenderint, actū est. Perijmus. Non possum em̄ contemnere eum, à quo etiam qui timent, superati sunt. At sicut ad Asiaticam mollitiem, nequaquam nostros comparo homines, neq; cum illa imbelli Sulthani militia Germanos consero exercitus, ita nō possum de spicere eum, qui qualescūq; sint quos uicit, maxima certe ac opulentissima subegit regna, & indefesse omnia agit, neq; cessat, ferendis laboribus patiens, obeūdis negotijs prōptus & exercitus. Qui iam assueuit uincere, quem & gloriæ stimuli, & prædæ dulcedo, ad omnia belli incommoda ferenda indurauerunt. Eū, qui qualis qualis est, arma habet, equos, uiros, naues, & illud quo omnia hoc tēpore expugnabilia uidentur, aurum. Iam quantum animi illa addidit Syriaca uictoria? magnifici triumphi? superba spolia? Plurimum momēti habet ò principes in bello dux, adeo ut sæpe desperata uictoria solo conspecto duce respirarit. Ut  
maxi

## AD PRINCI GERMA.

maximi sæpe exercitus in fugam profligati, sub imperatoris aduentum, cōuersi sint. Ille uerbis regit animos, Ille nutu affectus suorum moderatur, & uel sola sui præsentia uincere facit. Nonne quosdam legistis media pugna ægro corpore in lectica productos, militibus auxisse animos in tantum, ut præter spem uincerent? Præstat hoc obedientia, cuius oportet tenacissimum esse in remilitari uinculum. Quid aliud uolunt em̄ illa seuera Romanorum ueterum exempla, quam parere duci, id esse uincere? Cui instituto adeo illi studebāt, ut eis ingrata fuerit, præter imperatoris scitum parta uictoria. Quorum aliqui in proprios animaduertunt filios, quod iniussu suo uicissent etiam alij ignominiam obuenterunt ijs, qui strenue quidem pugnauerant, sed ex imperio pugnauerant. Omnino principes huic imperio imperatore opus est, quem si sui uere antur, magnum id est, si ament etiam, multo maximum. At si iussa faciant, satis. Prospicere hoc uos decet, ne si nunc beneuolis MAXIMILIANI hortatibus, non pareatis, fiat, ut imparatos, ac sine ordine & disciplina diuagantes, inuadētibus Tur  
E iij cis

## EXHORTATIO HVTV.

cis, sero nimis quærat, qui bellū ducat, q̄  
 copijs præsit, cuius auspicijs in hostem pu-  
 gnetur. Oues quoq; pastorē minus sequen-  
 tes, ubi dispersæ fuerint, difficile cōgregan-  
 tur. Eadem irrūpente lupo, repente quidē  
 ac ultro, sed magno suo malo ad gregē con-  
 fugiunt, & pastorē requirūt. Nisi omnino de-  
 sipit hostis noster, nihil malit quàm incom-  
 positos nos, ac sine rectore cōstitutos aggre-  
 di. Sed sapit ò principes, sapit inquā, ac ani-  
 mo pariter & oculis, in nostrā intentus dis-  
 sensionē, quos nō ignorat, quā arduum sit  
 repente & uniuersos uincere, palantes ac di-  
 scordix studio diuersos, & hoc sine rege, si-  
 ne duce ac imperatore, paulatim & singu-  
 los palanteisq; opprimere cogitat, his consi-  
 lijs in tēpore, & quàm ad factū perueniant,  
 ante obstitite. Paratus est in omnē euentū  
 Cæsar. In quo cū nulla mora sit, quid est qd  
 uos distineat, quo minus officiū faciatis &  
 ipsi? Non iam somnū ille sibi indulget, no-  
 ctu diuq; cogitat, quomodo in cōmune cō-  
 sulat, id est, quo cōsilio in concordia uos ad-  
 ducat. Habet monitricē conscientia, quæ il-  
 li perpetuo adsistit, ac ut labentibus iam re-  
 bus suppetias ferat hortatur. Quod cum fa-  
 ciat

## AD PRINCEPS GERMANIAE.

cit illa, in memoriam producit, quas nobis  
 clades, quā fastidatam cotidie inferant Tur-  
 cæ. Ponit ante oculos munitissimas urbes uel  
 expugnatas, nōnullas etiā excisas. Nume-  
 rosos profligatos exercitus. Reges ac prin-  
 cipes in uincula cōiectos. Igne deuastatos  
 agros. Homines Christianos pecudū in mo-  
 rem mactatos. Alios in seruitutē abductos  
 ac maximā semper Christianorū in Asia ser-  
 uientiū multitudinē. Iubet deinde conside-  
 rare quid ultimo tandē, post tot hostis suc-  
 cessus, futurū putare debeat. Ostendit para-  
 tum & accinctū, iamq; incurfantē aduersum  
 nos hostem. Tum crebro illud superincul-  
 cat, potes hoc in casu ducere somnos? Non  
 somnū igitur capit, sed uigilat. Et si agnosci-  
 tis, uobis uigilat, nobisq; omnibus. Cui si  
 quando, aut deus, aut fortuna melior dede-  
 rit, ut uos suo exemplo, ab illo diuturno so-  
 mno experrectos uideat, tū se putat ad sum-  
 mum uotorum suorum conscendisse, & qd  
 tota uita conatus est, ut consultum esset rei  
 publicæ Christianæ, id se expergefactis uo-  
 bis, obtinuisse, nihil interim sollicitus,  
 quod uos multos & potētes iuxta se in Ger-  
 mania principes uideat, nec iccirco im-

E iij minu

## EXHORTATIO HV T.

minutum se existimans, nihil magis, quam quod manus habet in multos dissectas digitos, & ob id ad opus faciendum abiliores. Hoc petit, hoc summis uotis optat, ut ista suo cōueniant corpori membra, suoq; sub sint capiti, quando quidem alia nulla ratiōe corpus ipsum constaturum uidet. Vos igitur, quod ille tam cupide petit, ut ad sanitatem redeatis, facite, ne quod uestræ salutis nomine quæritur, ei quo minus acceptum sit obstitisse ipsi uideamini. Admittite consilium. Accipite sanitatem, atq; adeo salutē accipite. Iam enim omnia in his sita sunt, ut concordēs primum sitis, deinde ut imperatorem agnoscat. Atq; hæc duo huiusmodi sunt, ut neutrum sine altero consistere possit. Nam & emotis dissensionibus, intelligitis sine imperatore uos deficere, & agnito imperatore, ad mutuam concordiam omnes inclinabitis. Dabunt se ista inuicē. Qui iam igitur satis ut puto intellexistis, quam uobis mutua concordia opus sit, atq; ijdem uidetis, quam non possit ea sine quodam in quo uersetur cardine, id est sine publico rectore ac principe consistere, quod omnium uota expetunt, publica flagitat necessitas, uestra

exigit

## AD PRINCI. GERMA.

exigit dignitas, ut omnes salui simus, uos gloria aucti & ornati, parete ei qui uos recte monet, recte ducit. Sine quo non plus ipsi potestis, quam sine uobis ille. Nam ut in cōparationem deducamus rem, quā infirmū illud erit, sine reliquorum ministerio membrorum caput. Rursumq; ut turpe, ut mancum ac defectum sine capite corpus. Bruta animalia ducem agnoscunt, armenta taurū, arietē oues, Elephantes quoque eum qui præit sequuntur. Et grues ductorem suspiciunt. Apes regem uenerantur. Quæ cum in ratione carētib; animantibus uideamus, uos sine duce, sine rege, atq; adeo sine capite eritis. Aut nō meministis maximas sæpe res, unius consilio ac prouidentia ducis gestas, nihil unquam uel à maximis sine duce exercitibus. Vt non insipiēter monuerit, qui exercitū ceruorū maluit leone duce, quam exercitum leonum ceruo duce, id scilicet reputans, in imperatore situm, quo euentu res gerantur. Agnoscite caput, parete imperatori, uel ob id maxime, quod in uos illa inclinatur successio. Proinde quilibet uestrum cogitet, ut nunc præstet alteri, quod ipse sibi, ad hoc prouolutus fastigiū præstari uel

E v let.

## EXHORTATIO HVT.

let. Et nunc parere discat, ut aliquando imperare sciat. Videtis ferocissimas nationes, nunquã diu aut bene imperasse, contra Assyrios, Mœdos, ac illum Asiaticum luxum tot annos & egregie. Tantum est scire imperare. Atque hoc in eo situm est, ut parere scias ac possis. At quis non posset imperatori benefico, liberali, iusto, clemẽti, & quocunq; uirtutum respicias, egregio? Qualis est MAXIMILIANVS, qui annos iam triginta amplius, patrimonij sui fructibus, imperij onera sustinet, omnibus interim curis agitat. In nulla constitutus quiete. Quãdo em̃ tranquillũ uidimus? Aut quando non in nouã aliquã sollicitudinẽ precipitatum? Cum nos interea (prosequor em̃ semel libere institutũ sermonem) aut domesticis uoluptatibus, aut intestinis contentionibus operã damus. Quos ille si quando ex officio corripit, tũ uero iugũ exclamamus, ac seruitutẽ interpretamur, Deinde quasi iam illud excutiam? iugũ, ac ab illa nos uindecimus seruitute, libertatẽ uocamus, imperiũ non agnoscere, imperatori non parere. Omnia impune audere ac facere. Quid quod aliquos, non principes illos quidẽ (quod ego sciam

## AD PRINCL GERMA.

sciam) sed ex ijs qui se principibus cõsulere dicũt, putare uidemus, cõsultum imperio, ubi poscẽte natura nobis MAXIMILIANVM deus eripuerit, ut externũ quenpiã accersamus regẽ? Qua cogitatiõẽ, quã fœdior in Germani hominis consultationẽ cadere posset? Quanquã non ignorẽ quid sibi proponãt illi, Nempe futurũ putantes, ut quò longius absit imperator, eò liberius uicturos qui sub imperio sunt. Quod ignorãt quãmeos fallat. Nesciũt em̃ libertatis cõseruatorem esse, quẽ dominũ interpretantur. Ac nõ posse ista tam diuersa sine capite cõcorditer degere mēbra, Abijcite igitur qui qui estis, ineptã opinionem, stulta uota, insanũ consiliũ. Vos autem principes, ne sinite turpissimã uestris temporibus notam in se utri ut defuisse suus ac genuinus huic nationi princeps credat, qui nõquã prius defuit, Vt peregrinũ nobis iugũ imponatis, quod nunquam ante tulimus. Breuiter ut Germaniam Germani prodant, quod nunquam in huius gentis mores cadere putatum est. Quid aliud fiet enim isto consilio quã si natiuum quis sibi membrum adimat, ac fictitiũ reponat? Quasi uero principes non habeat

## EXHORTATIO HVT.

habeat Germania. Quasi regius hoc seculo inibi sanguis defecerit. Quasi prisca defuerit uirtus. Nolite igitur o principes ipsi desperare uos, de quibus optime nos speramus. Nolite ista tam uegeta, tam bene habentia, ac composita repudiare membra, ac peregrinum aliunde attrudere. Nolite cum tot sint in Germania fortissimi ac nobilissimi iuuenes, tot optime spei adulescentes, externum arrogare principem, Id est carneo ac uero corpori, suos subducere pedes aut manus, & ligneos aut suberinos ac fictos appondere. Quod si qui sunt, qui non admittant consilium, & quibus omnia libet inuertere, his ego cum innocente hoc MAXIMILIANO, a dijs immortalibus illum quem tantopere affectant externum dominum precabor, ut istam eis preposteram libertatem, in acerbissimam ac ignominiosissimam subjugationem uertat. Iniquum est enim illud horum consilium, nefarium & scelestum, ac summe perniciosum. Quos si ulla uirtutis recordatio ageret, id est, si uere Germani essent, mori ante decuit, quam eò cogerentur, quò se ultro nunc intrudunt. Sed missum faciamus hos, cum suis cogitationibus, in-

ptos

## AD PRINCI. GERMA.

ptos consultores. Vos principes, quod pluribus fortasse quam oportuit egi, quia opportunum est, quia necesse est, & quia differri non potest, ut contra Turcas arma sumantur hoc tempore, atque id alio non fiet consilio, quam si uos communem amplexemini concordiam, ac inuicem redeatis in gratiam, agite nobilissimi proceres, fortissimi uiri, proles Friderichorum, genus Othonum, sanguis Henrichorum, posteritas Carolorum, Agite inquam, redite in gratiam. Facile hoc uobis est, sed quanquam facile, ita tamen salutare imperio, patrie ac Christianis omnibus ut istam si uobis (quod spero) concordiam deus indiderit iure optimo communem salutem appellare liceat. Et cunctamini, ac totum bonum in medium dare, uel momentum differtis? Quin uos omnem hinc moram odisse iuuat, & confestim omnibus salutem, uobis etiam laudem ac gloriam parere? Urgent uos hominum desideria, impellit publica necessitas. An aliquis uestrum est, cuius auribus non insonuerint ista? Respicite nos principes. Defendite fortunas nostras. Conseruate dignitatem. Depellite interitum. Ergo agite ex illo obscuro desidia ac cunctationis

tionis

## EXHORTATIO HV T.

tionis carcere, in patentissimum ueræ gloriæ campū erumpite. Propheostis est, nō cōtemnendus ille, ne negligendus quidē, aut non magnis apparatus excipiendus. Qui cum intra Asiam quam possidebat, cōtinere se non posset, bonā Europæ partem imperio suo adiunxit. Inde rursus quietis impatientia Africam inuasit, ac ueluti immanis bestia humanū sitiens sanguinem, deuicta Syria, & quicquid iuxta Sulthanus possidebat, simul Aegypto, ad iugum ducta, omnes in nos cogitationes, ac uniuersam belli molem conuertens, cladem Italiæ, uastitatem Pannoniis, Illyrico ac Sarmatiæ, postremo nobis quoque periculum intentat. Huic tali tam furiosæ beluæ sic nos petenti, ut alacriter occurramus, uel ipsum Germaniæ uocabulū, incitare debet. Nam si ad nominis Ethymologiam respicimus, idem est ideo-mate nostro Germanus, quod latine ex toto uir, aut omnino uir, aut perfecte uir, quas si tu dicas, ab omni uirtute consumatū hominē. A deo fuerunt circa gloriæ studiū ambitiosi maiores nostri, ut uocē quoque uellent esse, quæ ad uirtutē hortaretur. Et gesserūt illi res maximas ac nobis per manus tradiderūt

## AD PRINCI GERMA.

derunt gloriā, quā nisi asserimus, uere Germani non sumus. Sed ut simus, in uestra situm est uolūtate. Nam de reliquis bene habet. Et sumptus quoque suffecturi uidentur. Valde enim mihi probatur hoc consiliū, quod agitare quosdā uideo, ut à sacerdotibus, sed illis, qui neque militabunt ipsi, & rebus ad uitium necessarijs omnibus affatim abundat, pecuniæ petetur. Ut item ab opulentissimo quoque eorum qui in liberis ciuitatibus otiantur. Nec defuturi nobis pii sacerdotes, boni ciues uidentur. Tum illud recte excogitatū, ut ex singulis fratrum collegijs, singuli mittantur, qui monasterij sui stipendio militent, ex quibusdā, ut facultas erit, bini. Idem apud Canonicos fiet delectus. Tribuent & ciuitates, quæ uocantur liberæ. Ac mercatoribus imperabitur uectigal, his præsertim, qui peregre negotiatur, aut qui plurimum lucrantur. Quibus rationibus minimo omnium dispendio, maximam conficiemus pecuniā, ingentem conflabimus exercitum. Vos modo annuite. Vos adnitimini. Nec deeste sic paratis. Quippe omnia, si uos esse uelitis, parata nobis sunt. Nam minus nihil curo quàm ut à Cardinalibus petatur  
ali

## EXHORTATIO HVT.

aliquid hoc tempore, hoc ad bellum. Satis puto si exigere hic ipsi uetetur, ac illud prospectum si fuerit, ne, quod solent, his rebus impedimentum adferent. Ne expeditis nobis, ipsi hic, ut saepe prius, bellum excitent, discordias seminēt, & à sanctis cœptis, pulcherrimo instituto nos retrahant. Ne inuidia potentiae nostrae, inimicorum obstet ex cidio. Ne dum uerentur nequid nobis accedat, uel Turcas regnare malint. Non temere ista moneo. Dum uetera repeto enim, praesentium sollicitudinem capio. Nec uos ignorare puto, quibus aliquando consilijs, quas turbas Romani isti dederint. Sic Henrichum quartum, Gregorius, statimq; eius nominis quintum, Paschalis, dum Italico exercent bello, ab Asiatico retinent. Eodē studio Aenobarbū uexauit Alexander. Et Friderichum secundum pessimis obnoxium pontificibus, Honorius, Gregorius, & ille nocens Innocentius, diu primum in Italia morantur, deinde ab ipsa etiam, quam optima spei plenam sumpserat, expeditione retrahunt. Atq; hos è multis aliquos commoro. Nam ab eo tempore, quo cum religione, uana se immiscuit superstitione, nostris

non

## AD PRINCI. GERMA.

non putantibus imperatorē habere se, nisi qui à Romani pontificis pedibus coronam sumpserit, qui aliquid donauerit, aut iusurandū qui dederit, Cōstantini donationem ratā habiturū se, semper imperatorū potestas suspecta pontificibus fuit, clamātibus interim, nihil nos agere. Nō pereunti Thraciae, ruenti Graeciae, periclitanti orbi Christiano suppetias ferre. Quos (ita Turcae pereant) ut nollēt uincere. Nollēt imperiū augere. Haec ubi cōsydero, & cū antiquis illis nostratia confero, nunquā desino suspectā, praesertim ultro se nobis insinuantē, huius generis consultationē habere. Quare, ut libere dicā quod sentio, nō minus hoc cœpto bello, Romā uobis, quam Asiā curandam censeo. Tantū abest, ut ad Reuerendissimorum cōsulta aliquid uos agere uelim. A uobis omnia petēda sunt. Inter uos capiendum consiliū. Nec illi insidijs pleni, aliunde admittendī cōsultores. Nondū aliquid cōsiliij inopia neglexistis. Haec tenus discordiae impedimēto uobis obfuitis. Quā siquādo excludatis, ac ad uos redeatis, in promptu cōsiliū, in prōptu salus erit. Ac excludite oro, & ad uos redite. Potētissimo cū hoste, atq; eo instructissimo & iā propē cōstituto cer-

F tandū

## EXHORTATIO HVTV.

standū est. Qui cū satis alioqui metuēdus uideatur, tum in primis huic nationi infensus est. Quod cū uobis persuasum putē, agite uicissim malū intendite. Primū Turcæ cōmuni omnīū Christianorū odio tenētur, deinde hāc præcipue nationē infense oderūt. Reddite uicē, ac par pari referte. Recte malum sit ei, qui male uolentē, cum posset, nō præuenit. Negligēda nulla inimicorū ne suspicio quidē est. Præcingite uos, Erūpīte, Inuehīmini. Magnā operis partē qui incepit, perfecit. Consiliū est perdere eū qui nos perditum it. Qui nō quomodo nobis imperet, sed ut mortē inferat, meditat. Qui nō opib⁹ nr̄is inhiat, sed uitæ insidiat. Cuius non est studiū, ut nos subigat, sed ut interimat, ut trucidet. Quē nulla tenet regnorū nostrorū cupido, sed insatiāda cædis ac sanguinis sitis. Qui nos oīm nationū maxie extinctos uult. Qui quāto quis uirtute præstātior est, tātō infensus odit ac persequitur, hostis hominibus, hostis religiōi. Immo uero hostis humanitati, hostis deo. Audite igit, audite ac exurgite, fas est odisse principes, aut uerius necesse est totis uiribus cōtra hanc rabiem ferri, contra hāc pestilentīā inuehī. Clamant ad uos oīes quæ Christū profitētur  
nati-

## AD PRINCI GERMA.

nationes, Clamant finitimi, Clamat patria, Clamat imbecillior ætas, pueri ac senes, Clamant fœminæ. Ac interim religio quæ, quæ se defensam à Turcis uult clamat. Per deum immortalem exurgite. Exurgite quæso. Ac dum omnia seruatīs, uestra quoque salua reddite. Liberate nos à iugo. Erūpīte è faucibus truculentissimæ belluæ. Defendite religionē, pro qua tot martyres nō dubitauerunt contumeliose mori. Eodem beneficio deum simul ac homines demerebitis. Reuocate in mentē uestros maiores, Ponite ante oculos, quo in loco constituti sitis, Cogitate quā ista uobis conseruanda sit dignitas, quā tuenda existimatio. In procliu est, ut uincatis, modo in eūdi belli consiliū capite. Magna est opportunitas. Ne sinite elabi, Optima occasio. Ne sinite præterire. In summa. Nunquā ista simul fuerūt, summa necessitas, & optima occasio. Itaq; ut maximum discrimen est, cui obijci mur, ita & summa uincendi spes & uberrimus uictoriæ fructus. Quia tamē ambigui sunt & incerti bellorū exitus, ut in omnem uos partem recte moneam, tale est hoc bellum, ut in eo uinci quoq; gloriosum sit. Et quotus quisq; uestrum est, qui si moriendū

Fij ei nunc

## EXHORTATIO HV T.

ei nunc sit, non sic malit, quam utcunq; mori? Iam ista quanta sunt, quae uobis proponuntur praemia? Vera ac sempiterna apud omnem posteritatem gloria. Ingens apud deum meritum. Opulentissima ex hoste spolia. Vno eodemq; negotio, famae celebritatem, salutem animorum, & fortunaru uestrarum incrementum breuiter, uno eodemq; negotio, quicquid homini appetendum est, partum habebitis. Potest enim aliquid esse praeterea cuius nobis usus sit? Aut potest ullum esse tam durum negotium, tam praesens periculum, quod obire quis, istis propositis praemijs dubitet? Videmus homines, non magnis praeditos animis, spe modici alicuius lucelli, praesentissimis se terra ac mari periculis exponere. Vos quid facietis, & nobiles, & principes, & summi, quibus cum lucro gloria, cum gloria aeterna felicitas obicitur? Tum saepe ex infima plebe aliquis nihil non audet, ut potentem quempiam sibi demereatur. In uobis quae mora est, apud omnipotentem deum summam inire gratiam? Summum in caelo bonum reponere? Immo uero quae segnitates est, ipsos lucrari caelos? Et uicti & uictores, utrobique, & hic & in illa sempiterna patria triumphabitis. Summa sunt

## AD PRINCIPI GERMA.

sunt ista. Sed tamen ut non sint, neq; haec gloria, neq; ista praemia, urget nos a tergo, trahit a fronte necessitas, & bello ad bellum cogimur. Omnia per Germaniam militibus plena sunt. Undique arma. Undique equi. Otatur Germania, sed esse cupit quod agat, & nisi uos materiam dabit, inueniet. Sed perniciosum hoc erit quod inueniet, uobis maxime, per quos non erat quod ageretur. Quorum desidia uirtutis studium intermittebatur. Qui negligebatis imperium. Qui calamitatibus exponebatis Germaniam, intellexistis? An clarius haec dici uultis? Sic rem accipite principes. Ingens annonae charitas diuersatur. Nusquam bellum est, quod exeant, qui egent, qui esuriunt, nisi istuc quod uos hac exhortatione uoco. Quibus pereundum fame est, malent ferro, date arma, date signa. Cum uiris pugnare quam cum fame & egestate Germanos magis decet. Nolumus inopia principes nolumus esurie perire, pulchrum mori succurrit in armis. Praeterea eam scitis esse Germaniae conditionem, ut quanto quisq; frugibus magis aduersus est annus, tanto magis bello amicus sit. Vnicum itaque leuadam annonae consilium est, foris bellum gerere, quo ex

## EXHORTATIO. HVT.

eatiuentus, ut minuatur domi multitudo.  
 Pröinde operam uos dare cöuenit, ne sedi-  
 tionem induat Germania, ne in uestras, ne  
 in aliorum possessiones impetus fiat, nedü  
 opimã foris negligimus prædam, domi co-  
 gamur pro patrimonijs nostris, intestinis  
 commisceri cædibus. Nec tantum, ne ista fi-  
 ant, sed & ne interim discordiã nostræ oc-  
 casione, illa in nos Asiatica tempesta ruat,  
 quo duplici clade opprimamur. Date ope-  
 ram, ne qui nunc libere tueri omnia potestis,  
 intra id discrimen includamini, unde expe-  
 diri difficillimũ sit, facile id præstabitis, nul-  
 lo uestro incommodo, nulla molestia, si cõ-  
 cordes fueritis, si imperatorem agnoscatis.  
 Quid multis? Tandem deliberate, domi à  
 uestris capi uelitis cum dedecore, an foris  
 experiri cum gloria. Meum consiliũ est  
 præuenire ultima, Amoliri à Germania bel-  
 lum, domesticas interciperere seditiones, Cõ-  
 seruare dignitatem, Augere imperium, Ad-  
 diuitem concurrere prædam. Idc̃ hoc po-  
 tissimum tempore, quando opportunũ ma-  
 xime est. Quando se quæ omnium expecta-  
 tionem uincit, ostendit occasio. Sed iam in-  
 citatos uos uideo, & alacritatis signa a-  
 gnosco

## AD PRINCI. GERMA.

gnosco, Video gestire quosdã, & nihil quã  
 bellum, idc̃ confestim uelle. Atc̃ hanc unã  
 omniũ cogitationem existimo, huc omnes  
 intendere, hoc conari, atc̃ igitur in commu-  
 nem concordiã propensos, & parere  
 Casari paratos. Quibus à Chri-  
 sto OPT. MAX. primũ,  
 ut constanter in hac opi-  
 nione perseuerent,  
 deinde ut o-  
 mnia sibi feliciter fortu-  
 nateq̃ euenire uideant, ac gaudeãt precor.

DIXI.




**VL RICH I**  
 DE HVT TENEQVITIS  
 ad Germanos suos, Exhortatorium.

**D**Ornitum nimio plus est, exurgite ciues.  
 Et curam fracti corripite imperij.  
 Dormitum nimio plus est. Iam Pannonas acer  
 In uestro pulsat limine Turca fores,

F iij Dum.

## EXHORTATIO HVT:

Dum uos somnus habet (tantū est uigilare) pudēdo  
 Dedecore, & nostris cladibus hostis adest.  
 Hostis adest, uigilate uiri, uigilate repente.  
 Iam feret externum Teutona terra iugum,  
 Hoc tulerit Rhēnus, tulerit Germania pugnax,  
 Hic Asiam domina sceptrā tenere manu?  
 Et quod Roma potens, tunc cum se in flore uideret,  
 Non potuit, nunquam Gallia quod potuit.  
 Non crudi potuere Scythā, Daciq; Gethāq;  
 Quod non finitimi Sarmata cultor agri,  
 Hoc Turcas potuisse leueis, hæc uiderit ætas?  
 Et (pudor) ex Asia fenerit imperium?  
 Ah alacres ubi nunc animi? uigor ille ubi ciues.  
 Qui fuerat, post tot secula notus adhuc?  
 Tanta atauos fecisse, neq; id nescire nepotes,  
 Exemplum uitæ non capere inde tamen.  
 Ecce ruit, uictaq; Asia, Aegyptōq; subacta,  
 Quod superest, in nos agmine Turca mouet,  
 Bellorumq; omnes curas, molemq; superbam,  
 In populos Rheni Danubijq; uehit.  
 Nec uenit, ut regnet, uenit ut (me audite) trucidet.  
 Vt iugulet, sola hæc pectore cura sedet.  
 Si iuuat usq; ignaua sequi, uirtute relicta,  
 Nec famam egregio Marte parare iuuat,  
 At uitam retinere opus est, patriamq; tueri,  
 Extremam & lapsis addere rebus opem.  
 Quod nisi nunc fiat, nisi nunc Germania somnum  
 Deferat, ignauas dissoluatq; moras  
 Aut totum ruet imperium, resq; ipsæ, hominesq;  
 (Ah pereat Turcas qui negat esse uiros.)  
 Aut feret hunc Gallus, feret hunc Hispanus honorē,  
 Obiectum nobis præripietq; decus,

FINIS.

## VLRICHVS HVTTENVS

liberis omnibus ac uere Germanis S.

**C**VM ORATIONEM SCRIP-  
 sissimam nup, qua principes nostros ad bellū  
 Turcis inuehendū exhortarer, eāq; non dicere tantū  
 in illo, quod Augustæ fuit ætate superiori, principū  
 ac populi Germani comitio, sed & scriptis habitam  
 edere proposuissem, eo confidentius, quod putabam  
 me gratum hoc Germanis omnibus facere, ut qui in  
 commune consulere, & rem interim, nullo quidē  
 fano consilio, Verum aut imbecillitatis uitio, aut as-  
 dulandi studio hætenus euitatam, primus & aggre-  
 derer, & usurparem, idq; & opportuno tempore, &  
 bona ut unquam occasione, fieri tunc posset, accesser-  
 runt me ex amicis quidam, solliciti illi de salute pro-  
 fecto mea, & ut multi putabant esse tempora, utilia  
 suadentes, qui uehementer ab hoc instituto deterres-  
 bant, fore putantes, ut quia insunt quædam orationi  
 ipsi, in statum Romanum liberiora, quàm malus ali-  
 quis Pōtifex ferre possit, ut mihi periculum inde, aut  
 certum etiam malum proueniat. Parui, ut tunc, illos  
 admonitioni, precibus etiam contendentium, quicq;  
 erat animi ardorē restinxit, ac me ipse cōtinui. Quod  
 ut ægræ feci, ita haud multū diu facere potui. Ut cogi-  
 tare enim cœpi, quāto honestius sit, quantūcunq;  
 præfens ultro adire discrimē, ut patriæ pro sis, quàm  
 salutis propriæ consulere, dum hanc publico commo-  
 do, & maximo in re necessaria adiumento fraudes,  
 excitauit ipse me, ac confirmaui, his præsertim confi-  
 liis. Primum namq; ad periculum quod pertinebat, cō-  
 si debam id planē nullū esse, cum quod ea iusta est &  
 necessaria, ac minime petulans censenda, qua ibi us-  
 tor libertas, tū quod optima mihi & æquissima sem-  
 per omnia, de Leone X. persuasi. Quem tantum abest  
 ut hac in re metuam, ut etiam Laurentij Vallæ aduer-  
 sus euentam Constantinī donationem libellum in  
 lucem

lucem iterum, præfatione ad ipsum facta, edere nup  
 ausus sim, cum nihil tantum esse uideam si hoc fecer  
 ro, cur mihi succenseat bonus Pontifex, sub quo uel  
 ob id maxime liberum esse licet, quod sibi ipse hoc  
 per Italiam erigi passus est, plenū ueræ ac solidæ lau  
 dis trophæū. **LEONI DECIMO RE  
 STAVRATORI PACIS.** Quan  
 do tutior enim, ac uiua magis libertas, quàm cū una  
 omnibus pax est? At ille ex bellicis Iulij Secundi tu  
 multibus pacem inuexit. Certe igitur & emortuam  
 nuper pessimorum scelere pontificum libertatē pro  
 duxit. Quomodo enim aut dirimi ista ac se iungi pos  
 sent, aut ille hoc ingenio hac eruditione præditus, di  
 rempta ea ac se iuncta uellet? Deinde si qua etiam in  
 grueret calamitas, tutum me fore putauī, sperato &  
 nihil temere concepto Germanorum meorum præ  
 sidio, utpote quorum nomine, hanc mihi accerui ui  
 tro difficultatem. A deo ut iam haud cōtemnendis ar  
 gumentis prospiciam, si quis sit, qui ita uelit extinctā  
 Germanorū libertatem, ut contra nullam penitus in  
 iuriā, uullā cōtumeliam uel reclamare nobis liceat,  
 ei uidentū, nequando illa sic cōstricta, ac pœnē sus  
 focata, cum maximo repente huius seruitutis autho  
 rum incommodo ac detrimento erumpat, ac se sibi  
 adferat. Quam quidē, ut prudenter hæc astimemus,  
 & consiliū ipsi quoq; demus oppressoribus nostris,  
 quanto consultius fuit, aliquem semper spiritum ag  
 gere, neq; arctissime comprimi, quàm ubi se mani  
 feste strangulari iam senserit, impetu facto, ereptiōe  
 sui, multa cōculcare ac euertere? Patitur em capi illa,  
 ac uinciri leuiter patitur, præsertim arte si quis ua  
 leat, & astutia possit, duci ac perimi nō patitur, nec in  
 tou eueri sustinet. Proinde aliquid nobis ultro def  
 ne omnia ipsi usurpemus, ac ab inuitis eripiamus.  
 Quanquā omnino modicū est, quod mihi desumo, ut  
 ex iusto dolore, aliquod doloris signū edā, ut cōmu  
 nem patriæ acerbitatem, una uoce & modesta illa ac  
 inge

ingenua significē. Iam hoc quantū est, quod cū Ma  
 ximo Leone mihi cōuenit, quod ut ille Turcas bello  
 petendos, ac rebus Christianis suppetias ferendas  
 suadeo: Bene habet, liberum mihi est loqui, liberum  
 edere, uel tātō patrono causam tuente. Quapropter  
 confidēdum. Vos quibus patriæ libertatis cura est,  
 qui Germanum decus agnoscitis, qui nondū omnia  
 superstitiōi tribuitis, legite, relegite, ac similia aude  
 re, & Valetē in arce Huttenica.

### ERRATA SIC CORRIGITO

#### In quaternione A

Semipagina II. uersu primo lege, si cubi offenderem.  
 Semipag. 16. uersu ultimo, infumāt, pro instituant.

#### In quaternione B.

Semipag. I. uersu 4. lege, augente se pretio. & uersu  
 II. cōsiliū meū. Semipag. 2. uer. 3. strēnuus imp.  
 Semipag. 6. uersu 10. lege, Pyfidiam  
 Semipag. 9. uersu 11. expunge, audeat. & uersu 16. le  
 ge, maiores sui. & uersu 24. o principes.  
 Semipag. 10. uersu 24. lege, magis ista dedecet.  
 Semipag. 15. uersu 14. lege, ablegetis.

#### In quaternione C.

Semipag. 4. uersu 13. lege, perduxerint  
 Semipag. 7. uersu 8. lege, non iam quo. & uersu 17. le  
 ge, hæc sint impedimenta  
 Semipag. 8. uersu 9. lege, hūc immigrasse  
 Semipag. 14. uersu 19. lege, uno ista.

#### In quaternione D.

Semipag. 2. uersu 9. lege, conuiuent ac alunt.  
 Semipag. 7. uersu 6. lege, plebi auditum esset.  
 Semipag. 13. uersu 16. lege, Nec fore ut.

#### In quaternione E.

Semipag. I. uersu 24. lege, quid ista sibi  
 Semipag. 4. uersu 8. lege, & sicut ad  
 Semipag. 5. uersu 18. lege, sed non ex imperio.  
 Semipag. 16. uersu 4. lege, adferāt, & uersu 11. lege,  
 uetera reputo.



